dẽis p te.ſ. r Et timẽs/duriciã tuã: s Abij/ p liber ar/
bitriũ: t Et abſcõdi talentũ tuũ i t'ra: Ecce habes
qđ tuũ ẽ. Chryſ. Et ſi talentũ nõ pdidit/tñ re⁹ ẽ dãni: ſic q
cauſa ſeminãdi ſemẽ accipiẽs tpe ſeminatiõis nõ ſemiauerit/
dño ſuo damnũ facit: ⁊ ſi ſemẽ nõ pdiderit/quãtũ poterat lu/
crũ facere ſi opoꝛtuno tpe ſemiaſſet. v Rñdens aũt dñs
ei⁹ dixit ei: Serue male. Chryſ. Vere mal⁹: q largitatẽ
vocat volẽtiã. x Et piger. Prouer.vj.b. Vſqquo piger
doꝛmies: Qñ cõſurges de ſomno tuo: y Sciebas quia
meto vbi nõ ſemio: multo foꝛti⁹ vbi ſemino. z Et con/
grego vbi nõ ſparſi. Interliñ. Quia ab his exigo qđ nõ
cõmiſi ad erogandũ. a Opoꝛtuit ẽgo te pecuniã meã.i.
ſermonẽ meũ: b Cõmittere nũmularijs.i.auditoꝛib⁹ q
qđ audiũt opant'. c Et veniẽs ego recepiſſem vtiq
qđ meũ eſt cũ vſura.i.te ⁊ illos qs acquiſiſſes. Prouer.
xix.c. Fenerat' dño q miſeret' paupis: ⁊ viciſſitudinẽ ſuã red/
det ei. Eccl.xxix.a. Qui facit miſcdiã fenerat' pximo ſuo. Hie/
re.xv.c. Nõ feneraui nec fenerauit mihi quiſq. d Tollite
itaq ⁊c. Poſita duplici culpa ſerui inutilis.ſ.toꝛpe i exequẽ/
do: ⁊ ſupbia i excuſando: ſubdit de ei⁹ duplici pena. Vna i p/
ſenti: q: talentũ intelligẽtie ei auferẽ.i. p eius abuſu infatuat':
vel.ſ. ex itelligẽtia ſciẽtie nullã pcipit ꝯſcie iocũditatẽ: nõ ha/
bẽs ſapiẽtiã a ſapoꝛe. Alia i futuro: qñ patiet' tenebras exteri/
oꝛes. Dicit ẽg: Tollite itaq talentũ ab eo.i. intellectũ.
e Et date ei q habet decẽ talẽta. Prouer.xx.c. Tolle
pigñ⁹ ab eo q ſpopõdit p extraneo. f Omni enĩ habẽti da/
bit'/ſollicitudinẽ miſtrãdi verbũ dei. Vel/ g habẽti/chari
tatẽ. h Dabit'/gr̃a vel augmentũ charitatis. i Et abũ/
dabit.i. poſt augmẽtũ/pfectionẽ charitatis habebit. Vo etiã
v dr/habẽti dabit' ⁊ abũdabit/notant' tria.ſ.habit⁹ cha
ritatis: ⁊ eius

LEIPZIG,
T. O. WEIGEL.

313

Ce livre est très rare — surtout avec les portraits des Anoboplistes.

Bruneel

APOCALYPSIS
inſignium aliquot
HÆRESIARCHARVM,
QVA
Viſiones & inſomnia ipſis per ſomnia patefactæ, blaſphemias puta inauditas, ac deliramenta Enthyſiaſtica revelantur, vnaq́ue opera vitæ ac mortes Cœlo Latino donantur:

Superadditæ ſeptendecim eorum, qui inſigni ſupra reliquos temeritate ac depudendi audacia eminere viſi, Icones æreis expreſſæ.

Interprete

H. S. F. D. M. D.

LVGDVNI-BATAVORVM
Ex Typographio Henrici ab Haeſtens.
CIↃ. IↃ. C. VIII.

AD LECTOREM.

ANabaptiſtarum doctrina, Lector candide, ſimpliciter mendacium eſt & fucus. Tu eos Divinipotes ac Prophetas cenſes? Falleris. Pſeudoprophetæ ſunt & falſi doctores. Quorum colluvione ac peſte nego ab orbe condito quidquam nocentius ex Averni faucibus prodijſſe. Equidem quod majores clades atque calamitates in Belgium atque univerſam penè Germaniam invexerit, malum aliud facilè oſtendi poſſe non exiſtimo. Horum Hæreſim dum penitius inſpicio, non invenire me Monſtro nomẽ fateor, ſed quò tendat fortaſſè video,

Prima Leo, poſtrema Draco, media ipſa Chimæra.

Monſtrum voco, & quidem monſtroſiſsimum, ex varijs utique jam olim dãnatis ſectis compoſitũ. Quod quum video, videor mihi veteres Hęreticos, Nicolai inquam Antiocheni Gnoſticos, Valentinianos, Noëtianos, Sabellianos, Patropaſsianos, Parmenianos, & eius notæ alios ab Orco poſtliminiò reduces recognoſcere. Ita ut antiquas Hæreſes novo paxillo ſuſpendiſſe videatur pernicioſiſsimę ſectæ auctor Thomas Muntzerus. Sed ne ſemper Africa, ut in Proverbio eſt, aliquid novi adferret, ipſe etiam cum perditiſsimis ſuis aſſeclis auſu ſacrilego nova & inaudita commentus eſt ſcita, quibus nõ niſi cerritus BONUM FACTUM præſcribat. His parvulos donec adoleſcant catechumenos tantum

tum eſſe, nec ſacro-ſancti Baptiſmi veſtimento induendos decernūt. His bonorum omnium communionem indicunt. His Magiſtratus, qui viva Dei ſimulacra ſunt, prohibent; quum ipſi tamen Principatum invadunt, & Summates videri volunt, bipedum nequiſsimi, ſycophantæ, nebulones, hypocritæ, novatores, ac verſutiſsimi Novati traduces. Quem Novatum ſi verbis ſanctiſsimi Patris ac Martyris. Cypriani deſcripſero, non luſiſſe omninò operā cordatis videbor. Nā ea deſcriptio in pleroſque Muntzeri ſectarios quam belliſsimè quadrat. *De Novato*, inquit Carthaginis ſuæ decus lib. II epiſt. VIII ad Cornelium Pont. Rom.) *nihil indè ad nos fuerat nunciandum, quum magis per nos vobis debeat*

Nova-

Novatus oſtendi, rerum novarum ſemper cupidus, avaritiâ inexplebilis, rapacitate furibundus, arrogãtiâ & ſtupore ſuperbi tumoris inflatus; ſemper iſtic Epiſcopis malè cognitus; curioſus ſemper, ut prodat; ad hoc adulatur, vt fallat; nunquam fidelis, ut diligat; fax & ignis ad conflãda Seditionis incendia; turbo & tempeſtas ad Fidei facienda naufragia; trãquillitatis adverſarius, Pacis inimicus. Hæc ille de Novato, quę de Novatoribus noſtris nos dicere quis ſanæ mẽtis vetabit? Sanè ſi Iohãnes ille Leydẽſis ſartor vibex & macula elegantiſsimæ urbis, proprijs coloribus depingendus veniat, nõ aliunde quã inſtinc eos mutuabimur. Vos autem orthodoxi Doctores, erroneos miſereq; ſeductos homines, qui ſuperant, in viam Veritatis reducite. De-

mite

mite, obſecro, hanc illis phrenitim, & machinas omnes admovete, ut deſinant tandē imaginoſum hunc, quem ſolent, morbum ægrotare. Hæc merces veſtra, hoc brabeium eſto: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo, & ſcribam ſuper eum nomen meum.* Ioan. Apocalyp. III.

THOMAS MVNTZERVS.



Hei mihi quot ſacras iterans Baptiſmatis undis
Muntzerus Stygijs millia finxit aquis!

CIrca annum Redemptoris noſtri M. D. XXI, & M. D. XXII. ſurrexit in Saxoniâ ad Salem fluviũ Enthyſiaſtarum quorumdã ſecta mirè inſolẽs, quorum pars magna Nicolaus Storkius: hi ſomnia ſua, viſiones, ac revelationes Cœlitus (uti jactitabãt) immiſſas cum ſuæ farinę hominibus ſeditioſis muſſitabant; Mundũ ſcilicet ope ſua emundatum iri, cui impijs omnibus è medio ſublatis, ipſiſſima Iuſtitia præſideret: omnes nomine impietatis tangebant, quotquot ſectæ ſuę nomen abnegarent. Ex hac Camarinâ prodijt THOMAS MVNTZERVS, hic cum Deo colloquium ſibi eſſe gloriabatur; cuius doctrina immanè quantum gliſcere; quæ primùm in Sancti Euangelij Doctores, ac ſubinde in ipſos Magiſtratus detorquebatur: etenim ambobus hiſce ordinibus gregi Chriſtiano ſubductis, reliquiæ à lupis rapacibus quam facilè opprimuntur, ac diſcerpũtur. Eam ob rẽ lupi, id eſt, Doctores falſi perpetim Miniſtris Eccleſiaſticis ac Magiſtratibus obſtitêre, ſi hoſce aut à grege diſtraherent, aut certè in

ovium ſuarũ cõtemptum traducerẽt, ſibiq́; lucrifacerẽt. Hic Muntzerus quà verbis quà ſcriptis publicis docere, concionatores eius temporis Euangelio operantes à Deo non miſſos eſſe, verum Scribas meros, & Scripturæ inefficacis interpretes: Scripturas, & verbum Scriptum, verbum Dei ipſum non eſſe, ſed tantum veri verbi teſtimonium: ipſum verbum intrinſecum eſſe idq́ue cęleſte, & immediatè è Dei ore procedere, ac proinde intrinſecè, non ſcripturis, neq́; de ſuggeſtu prædocendum. Vna opera Baptiſmum vilipendere, imò Pædobaptiſmum à Deo non eſse acriter contendere, eoſq́ue Spirituali, ac potiore baptiſandos. Inſuper vanam Chriſti pro nobis Satisfactionem docere adnitebatur, quidquid boni imbelleſq́ue contrà obniterentur: Matrimonia infidelium ac libidinoſorum cùm polluta, tũ meretricia ac diabolica aſserebat. Porrò Deum per inſomnia volũtatem patefacere (vnde ſanè plurimum ijs indulſit) eaque quaſi per Spiritum Sanctum communicari innuebat: Hinc à ſuis cæleſtis, ac Spiritualis propheta exceptus eſt, quaſi à Dei Spiritu, ci-

trà

trà carnem edoctus. Hãc doctrinam vniverſam per Germaniam libellis impreſsis epiſtoliſque diſſeminavit, quos ſectæ ſuę ſeditioſi fomites legere, approbare, & vulgò diſpergere. Idem anno MDXXIII, & MDXXIV, Altſtedæ (quæ urbs Saxoniæ Turingiæ confinis) docuit: cumque non tãtum cõcionatores, verùm & Magiſtratus calumniaretur, ſeditioſiſque admodum atque acerrimis concionibus in eos inueheretur, libertati deperditæ, plebique non ferenda tyrannide preſſæ ingemiſcens, cuius opes, ac peculia à Magiſtratu depaſci conquerebatur, medicinam iſti proſpiciendam eſſe tempori perſuaſit. Ob hanc doctrinam Altſteda pulſus, Norimbergam unoque quaſi itinere Baſileam, ac deinde in Heluetiam, ac demùm Clakoviam proficiſcitur, ubi loci in pago Grieſſen dicto, aliquot ſeptimanas ſe contiunit. Intereà tamen operæ ſuæ operam navare ſedulò, ac pręcipuè in comitatu Stulingenſi contagioſam ſeditioſis ſuis ſementem committens, cuius ſeges abundè ſubnata eſt. Eodẽ tẽpore diſſeminare vulgò doctrinã de Baptiſmo, verboq; Dei, antè di-

cto

ĉto. Huius regionis finibus diſcedens, ac Mulhuſij in regione Duringenſi denuò oberrans, ad nonnullos ſuæ religioni addictiſſimos litteras dedit: quorū ope & opera ſæpiſſimè ingenia factioſa in Magiſtratum magis magiſque efferabat; paulò antè quam agreſtes arma colligerent, per tabellarium ſuum brevia diverſi argumenti tranſmiſit, in quis magnitudo globorum tormentariorum repræſentaretur, qui Mulhuſij iſti ſeditioni fuſi erant, quò ſuis factionum ignitabulis animos adderet. Cum enim duos mēſes apud Grieſſen moraretur, inq; Saxoniam revorti, e re ſua magis eſſe arbitraretur, neque ad animi votum hiſce locis res ſuccederet, ad Duringenſes, ac Mulhuſium pedem vortit. Eo antequam deveniret, litteris Senatum reverendum Mulhuſienſem Lutherus præmonuit, ab illo, quaſi Lupo calamitoſiſſimo, cane peius & angue præcavendum eſſe, cum iſte Svvikauij, ac pridē Alſtedæ arbor inſignite improba haberetur, quæ præter tumultum, ac certam perniciem nullos fructus daret; qui, neque ſocij ad ſuorum dogmatum defenſionem adduci

potuerint,

potuerint, nimirum, omnes ſe electos, ac Dei filios nominari, qui ſuæ religionis eſſent, cæteros impios, ac morti devovendos: pluraque eiuſmodi prædicta epiſtola legebantur, quæ VVeimariæ Scripta die Dominico Aſſumptionis Mariæ anno M. D. XXIV. Muntzerus verbis melle ac Seſamo cōditis animos ad ſuas partes pellexit, & montes adeò aureos ignaræ plebi pollicitus, uti omnes uno ore eum verum prophetam adclamarent, qui Magiſtratui ipſi obluctaretur: vnde quam maxima hominum alluvies Mulhuſio, alijſque è locis ad ipſum cōfluxit; imo Mulhuſienſem aſtu ſuo, authoritateque, quam adeptus, Magiſtratum exauthoravit, novumque opinionis ſuæ patronum conſtituit. Hinc prima mali labes. Succreſcere derepentè aliæ ſeditionum hydræ: Etenim bona cuncta communia, neq; quidquam proprium haberi docuit; addidit, à Deo ſibi revelatum, huius mundi imperia, & principatus exſtirpatum iri, porrectumque ſibi adverſus omnes tyrānos Gedeonis gladium, ad veræ libertatis patrocinium, regnique Chriſtiani redintegrationem, quo

tempore

tempore tormenta bellica conflari in mandatis dedit. Hæc dum moliretur, anno ſequente M D X X V ruſtici per Sueviam ac Frãconiam, aliaq́; loca plura in Magiſtratus inſurrexerunt, bonamq́; nobilium partem expulerunt, caſtella, vicoſque compilarunt, ferro denique omnia igneq́ue deuaſtarunt. Hiſce Lãtgravius Henricus commotus bellum mouit, ruſticoſque prælio adortus eſt: primum prope Franckenhuſium XIV Maij, quo & ſe ad ſecundam pugnam die ſequẽdi pugnandam accinxit, quod reſciſcẽs Muntzerus, ſuos animãdi ergo, dixit, quid iſti globuli ſclopetarij? eos manicis meis excepero, nec quicquam nocebunt; adſentientes ruſtici poſtridie à Lãtgravio prælio deuicti ſunt, occiſi quinque millia, capti trecẽti, qui omnes decollati ſunt: libertati inhiantes, vitæ libertatem perdiderunt. In ijs comprobatum antiquum proverbium, Dulce bellum inexpertis. Pars ruſticorum optima, telis armiſq́; abiectis, aureæ ſtivæ manum admoverunt, quibus eę tenendis potius, quam haſtis, ac bipennibus vibrandis adnatæ. Muntzerus Frankenhuſium fugit, ſeque in ædi

bu

bus portis vicinis, in quas forte nobilis quidam diuorterat, abdidit: cujus famulus in ædes ſuperiores aſcendens, eas luſtrandi ergò, lecto aliquem decumbentem reperit, è quo quæſivit, num eorum eſſet, qui bellico tumultui ſe ſubduxerant; pernegabat, adſerens aliquandiu ſe febri correptum: Ecce vidulum temerè propter lectum jacientem aperit, prædæ quid eſſe ratus, quo aperto literas ab Alberto Comite Manſueldio ſcriptas vidit, quibus Muntzerum à peſſimo propoſito, tumultuque vulgò oborto fideliter dehortatur. Perlectis, num ei inſcriptæ eſſēt interrogat, ipſi neganti mortem interminatus; tum is veniam precari, ſeq; Muntzerum confiteri. Capitur, coramque Georgio Saxoniæ Duce, & Lātgravio deducitur, ex quo ij ſeductionis plebeæ ac ſeditionis cauſam extorquent: officio ſe ſuo defunctum, & Magiſtratus Euangelicæ ſuæ doctrinæ hoſtes hiſce modis caſtigandos eſſe, reſpondit. Invicem Lantgravius ipſi reſpondere, ac Scripturę teſtimonijs comprobare, Magiſtratui omnem honorem deferēdum, omnemque propriæ ultionis tumultum

Chriſtianis

Chriſtianis à Deo prohibitum. Hic vero victus cõticuit Muntzerus. Equulio impoſitus cum altè inclamaret, & collacrymaretur, hiſce eum Dux Saxoniæ allocutus eſt: Mũtzere, punitus jam tecum revolue, quam infãdis modis quam plurimos ſeduxeris, ac perdideris! Ad hæc effuſè riſit Muntzerus, dicens: ita viſum Ruſticis. Cum jam morti addictus ad cataſtam produceretur, mirùm quantũ puſillanimus, ac turbatus ſteterit, fidei ſuæ rationem dare nequiẽs, niſi quâ Dux Saxonię ipſi præiret, quamque coram Deo confitendam prædiceret. Militum coronâ circumcinctus, apertè iniquitatẽ ſuam profiteri, ſimulque ad Principes adſiſtentes hæc verba facere, Miſericordiam, & clemẽtiam, viri principes exercete, ne in poſterùm exemplo meo haſce pœnas incurratis, legite, & libros ipſos Sacro-ſanctos Regum ſedulò evoluite. Hæc locuto caput præſectum eſt, ſtipitique, alijs monumẽtum ſive exemplum ſit, ſuper impoſitum.



Primus hic e Batavis Muntzeri dogma ſequutus
Turbavit miris Weſtphala regna modis.

ANno Domini M D XXXII Monaſterij (quæ vveſtphaliæ metropolis) preſbyter nomine Bernardus Rotmannus Euangelium Chriſti docere aggreſſus eſt: quod cum auſpicatò ſuccederet, internuncij nonnulli Marpyrgum Haſſiæ viros aliquot probos atque eruditos accerſendi ergò, miſſi ſunt, qui Euangelio promovendo operam navarent. Marpyrgo nõ nulli tranſmiſſi, qui Monaſterium venientes, ſumma religionis Chriſtianæ capita novẽ & triginta articulis complexi, Magiſtratui obtulerũt, ea locis ſacro-ſanctæ Scripturæ defendere ac patrocinari (uti ſpondebãt) paratiſſimi: quod effectum eſt. Religioſi atque (uti vocant) Spirituales, qui primum templum tenere, hoc ægerrimè ferebant, urbeque excedentes civibus moleſtias maximas faceſſebant. Grave hoc in negotium Magiſtratus ipſique cives multùm diuque ac prudenter incubuêre. Pactum tandem hiſce conditionibus initum, minirum, cunctos hiſce turbis errores commiſſos remiſſum iri, templiſque ſex numero parochi alibus


IOHAN. BOCOLD. REX. ANABAPT.
ELISA IOHAN. VXOR REGINA.
EIN·GODT·EIN·GELOVE·EIN·DOEPE·
1534
THO MVNSTER
NICHT·
IN·GAEN·
DAT·WORT·
IS·FLEISCH·
GEWORDEN·
VN·WANET·
IN·ONS·

alibus Euangelium liberè prædicatum iri, templumque Dominicum ſolum illis integrum permanſurũ. Conditio hęc utrimque lubenter accepta eſt; paceque cuncta conſopita. Verum pacem hanc, hocque Euangelij incrementum Diabolus (pacis virtutiſque hoſtis infeſtiſſimus) pati nō potuit; ideoq;, id, quod aliàs, etiam Monaſterij, ſeditioſos contagioſoſque Anabaptiſtas, Euãgelij perturbatores & remoras, ex orci faucibus protrahendo, magno proborum piorumq; detrimento, turpique Euangelij exitio machinabatur. Eodem enim anno Harlemi quidam piſtor emerſit, cui nomen Ioanni Mathiſio, homo ineruditus, vafer tamen, audaciſque elequentiæ: hic obſcæno libidinis orgaſmo æſtuãs, proprię uxoris contemptu laboravit, quæ ætatis jã adultioris, Veneriq; parum amica. Viraginis cereviſiarij cuiuſdam filiæ amore percitus, commodiorem ſeducendi occaſionem nullam, præter habitum angelicum, ac fucatam ſanctimoniam, excogitavit. Accedere ad illam ſæpiſſimè, de viſionibus ac revelationibus verba faciens, quibus eam tandem ad ſe petraxit, atq; Am-

ſtelodamum ſecretum in locum deduxit, ubi doctorem & concionatorem ſe profeſſus eſt, ſibi ſecreta à Deo nonnulla patefacta, alijs nondum patefacienda, ſeque Enochũ eſſe, ſecundum Dei antiſtitem, aſſerens. Nonnullis manus impoſuit, Apoſtoloſque, quaſi Chriſti internuncios binos emiſit, Gerardum bibliopolam, ac Ioãnem Bukholdũ ſartorem Leydenſem Monaſterium: alios aliò. Hi emiſſi Chriſti aut fortè Satanæ internuncij variâ opinione æſtuare, conjugia inſuperhabere, aliaq; ſomniare: alij per parabolas atque inſomnia docere, alij fratrem eum non agnoſcere, qui baptiſmo peccatis ſe inquinaret; alij baptiſmum Ioannis Chriſti Baptiſmo præferre, alij omnes Magiſtratus, omneſque ſuæ religionis prævaricatores ſtirpitus eradicandos; nonnulli meris viſionibus ac prophetijs inniti; alij omnes Prophetas Doctoreſque interemptos brevì reſurrecturos, cumque Chriſto in terris annos mille regnaturos, & de omnibus derelictis centuplum recuperaturos: horum nonnulli cum Deo, nonnulli cum Angelis ſeſe colloqui adfirmare: verùm prudentiores ac ſa-

næ mentis homines cum Diabolo verba eos feciſſe arbitrati ſunt. Magnus itaque Propheta Ioannes Mathiſius (cuius ope vaniſſimi Apoſtoli pacem celebrabant) occaſionem hoc in mūdo dominandi animadvertēs, Amſtelodami in locum ſuum Iacobum Campenſem ſerrarium Epiſcopum ſuccenturiavit, illi, eo, quo ceperat, zelo populum ſeducendum committens. Hiſce probè trāſactis, Monaſterium ad Apoſtolum ac Legatum ſuum Ioannem Bukholdum profectus eſt, quē urbis preſidem conſtituit; qui edicta ſevera confeſtim hæc promulgare, unicuique aurum argentumque, & quæcunq; preciosiora in communem acervum conferenda, nihilque penes ſe domi ſervandum, horumq; collectis locum deſtinatum eſſe. Populus edicti ſeveritatē magnoperè licet admiratus, mandata capeſſit. Inſuper omnes, ſacro-ſanctis Biblijs exceptis, libros interdixit, quos concremādos, teſte ſe, Divina mādarat Authoritas.

Hoc ipſo tempore artifex quidam, cui Huberto Trutylingio nomen, contumelioſè qind iu Magnum hunc Prophetam evomuit, unde

it, unde clemẽtia Prophetę exacerbata, prædictum Trutylingium in forum, armatâ plebe adſtante, acciri juſſit; incuſatur, ſupplicioque addicitur. Hîc ipſus violentis innocentem hunc manibus proſternit, proſtrato ſariſſam intorquet: illi palpitationis, vitæque quid ſupereſſe cernens, aliò delatum erepto cuidam adſtãti ſclopeto glande impleto trajecit, ſibique hoc à Deo, videlicet ſuo (qui à principio homicida fuit) in mãdatis datum eſſe innuebat. Hoc egregio facinore patrato, oblongâ haſta arreptâ, curriculò urbem perreptabat, vociferans à Deo patre ſibi demãdatum, hoſtem (qui Monaſterium arctiſſimè circumnigeret) in fugam ſe daturum. Sumpto telo adinſtar maniaci in hoſtem irruens à milite Miſmico confoſſus eſt.



Agreſſusque alter quiddam memorabile, Regem
Somniat, abjecto forcipe ſceptra gerens.

IOANNES BVKHOLDVS ſarcinator Leidēſis, homo callidus, eloquēs, Scripturæ non ignarus, vafer, audax, Protheo verſatilior, ingenuè ſeditioſus; paucis, Anabaptiſta feruidiſſimus: hic Monaſterium ab Ioanne Mathiſio miſſus lateribus Eccleſiaſtarum plerumque adhæreſcebat, in Pædo baptiſmum cum ijs ſubdolè inquirens, cui negotio novem penè continuos menſes dedit, frequentiſſime ijſcum diſputationis imò altercationis ſerram reciprocans: Interea tamen is clanculum, quà potuit, Anabaptiſticam doctrinam diſſeminare. Eò temporis peregrinus quidam verbi divini præco Hermannus Strapeda Meurſenſis Monaſterium venit, qui concionanti Rotmanno ſuppetiando ſeduxit, cumque Anabaptiſtico fermento adulteravit, qui quoque Pædobaptiſmum anathema eſſe publice denunciavit. Hinc magnus in vulgo tumultus obortus eſt: anteà clandeſtinò ab Ioanne Bukholdo edocti ſeſe nunc propalam oſtentare, mentiſque laruas deponere; ubique urbis varijs ædibus frequētiores conventus ſed noctur-

nos

nos celebrari, quis Magiſtratus ſuccenſens, perindigneque ferens, conciliabula prohibuêre, ac nonnulla proſcripſere, verum ij id neglectui habentes, portâ unâ exedentes, alias ſubingrediebantur, ſeque apud ſectæ ſuę aſſeclas occulebant. Inde Senatus cunctos Eccleſiaſtas ad Curiā de Pædobaptiſmo diſſerendi ergô convocabat: hoc in concilio Rotmannus ex profeſſo ab Anabaptiſtis ſtetit; at præcones Euangelici errores eorū probè refutarunt, uti acta publica abunde ſatis id adteſtantur. Ipſo hoc tempore Eccleſiæ Argentoratenſis Miniſtri fidei rationē edito libello conſignarunt. Senatus itaque Monaſterienſis edicto publico Anabaptiſtas omnes urbe eliminarūt: obluctari illi quàm plurimis altercantes, eoq; temeritatis atque audaciæ progreſsi, qui Euangelij vti præconem Petrum VVerthemium templo deturbarint. Imò horum nonnulli per urbem debacchantes (quorum caput Henricus Rollius) vociferati, Pænitentiâ ducti rebaptizemini, alioqui iræ divinæ theſauro mulctandi! Hæc incidêre in finem anni milleſimi, quingēteſimi triceſimi tertij, ac initium triceſimi

 ceſimi

ceſimi quarti. Probi homines, minimeque mali, partim iræ divinæ, uti aiebant, partim hominū terrore Anabaptiſmo ablui ſe paſsi ſunt. Etenim Anabaptiſtæ e latibulis ſuis undique in urbem animoſè, atque audacter irrumpebant, unoque impetu forum impetentes & curiam & armamentarium occuparunt, ingenti ac ſtētoria voce omnes quaſi impios atque Ethnicos trucidandos conclamantes, qui Anabaptiſmo non adſentirētur. Hoc in tumultu juvenis quidam Burchſtenfordienſis trajectus eſt. Hoc pontificios atque Euangelicos ad munimentum præoccupandum commouit. Hæreſiarchæ Anabaptiſtici fuere, Bernardus Rotmannus, Ioannes Bukholdus, Bernardus Knipperdollingius, Gerardus Knippēburch, Bernardus Krachtingius, &c. Partes haſce utraque dies jam aliquot, quaſi infeſtiſſimos exercitus, belligerantes induciæ ſecutæ ſunt, quies ſuâ quemq; in religione perſeveraturum ſtatui, Veruntamen Anabaptiſticæ undæ non acquieſcere, donec conſilio inito Euangelicos urbe expuliſſent. Contubernalium primarij circumquaque urbibus adſitis

ſitis, pagis, videlic. Dulman, Coeſvelt, Soyſt, vvarendorp, Oſenbrug cohortis ſuæ Anabaptiſtis trāſcribere, ut, neglectis omnibus, curſim Monaſterium ſeſe conferrent, relicta decuplò redempturi. Hiſce pellecti Monaſterium mariti uxoreſque ſuis derelictis confertim confluebant. Pij non pauci cives urbē peregrinâ iſta nautea gravari ſētientes, Anabaptiſtis eam poſt ſe reliquerunt. Anabaptiſtæ ita augefacti, ulterius procedere, Senatumque gradu ſuo dejicere, aliumque è ſuis in-vicem ſublegere, interquos conſules Gerardus Knippenburg, & Bernardus Knipperdollingius, cuius hæc effigies.

BERNARDVS KNIPPERDOLLINGIVS.



Quò non faſtus abit? quid non Rex impius audet?
Carnificem fecit qui modò Conſul erat.

Iam rerum facti domini primum Mauricij templum invadentes ædeſque circumſitas flammis abſumpſerunt; inde in alia delubra & monaſteria vi irruentes aurum argentum cæteraque ornamenta & quæcunq; ſplendidiora diripuêre. Quarto ab hiſce rapinis die, ubique triviorum viarumque oberrantes horrendum in modum eiulari, Reſipiſcite, reſipiſcite! ſubinde, foràs, foràs! exeſte impij, aliàs re mala mulctandi! Repentè armati confluere, infandaque ſævitia miſerrimos cives religionis ſuæ quaſi hoſtes tectis boniſque omnibus, ipſaque urbe, nulla mulierum ſenumque ratione habita, exhæredare, ita uti non paucæ gravidæ nefando abortu defluerent. Statim expulſorum hæredia Anabaptiſtæ quo jure, quaque injuria poſſedêre. Boni itaque probique urbe ejecti in militum, urbem viaſque cunctas obſidētium, manus quaſi hoſtiles inciderūt, à quibus horum nōnulli capti, nonnulli temerè interempti ſunt: quo honeſtiores cives reliqui conſternati, ſontes inſonteſque ſuſque deque haberi animaduertentes, pedem volentes urbe non efferebant, qua Epiſcopi

exercitu circumobſeſſa, cruor ubique, gemitus, lacrymæ. Ecce, Monaſterienſes iſti maniaci, atq; incorrecto utroque Elleboro digniſſimi cornua tollere, ante alios Ioãnes Mathiſius Propheta magnus, de quo ſuprà dictum: cujus extra urbem exitum magnũ ſibi Monaſterienſes exitium duxerunt, inopinumq; ob viri ſanctiſſimi fatũ calamitatẽ impendêre quàm maximam: cui tamẽ ſuccedere Ioãnes Bukholdus, dignũ patella operculũ, qui ſiſtere ſe populo, conſolari, ſubito Prophetæ caſui non ingemiſcendum perſuadens, utpote cui is diu antè erat patefactus, cuique vidua in uxorem ducenda. Pridiè Paſchatis in omnia urbis delubra ac fana ruere, atque æramenta ciere. Paucis poſt diebus Bernardus Knipperdollingius viros principes de gradu ſuo dejiciendos, inopes verò, humileſq; efferẽdos eſſe vaticinatus eſt. Porrò delubra omnia ex divino oraculi mandato ditui denunciavit, cui factum ſatis. Eodẽ ipſo die Ioãnes Bukholdus Bernardo Knipperdollingio unà cum gladio carnificis munus ſecũdũ Dei præſcriptum delargitus eſt, ut qui ſumma conſulatus dignitate, jam infimo

ſimo carnificis miniſterio defūgeretur. Ille peramabilem hanc conditionem lubenter arripuit. Iam urbem aliquot menſes obſidentes Epiſcopi copiæ, eam incurſu impetebāt, quo nobilium ducumque primarij, alijque, circiter quatuor millia occubuêre, ſpeſque omnis urbem vi oppugnandi collapſa. Paucis poſt Pentecoſtem ſequentibus diebus, urbe infecto eo impetu oppugnata, quieti inſomnijſq; imaginoſis ſeſe indulſit, treſq; dies cōtinuos ijs dedit: expergefactus Sachariæ patris Ioannis Baptiſtæ Anabaptiſta hic mimum egit: etenim obmuteſcens chartam petijt, cui Duodecem-viros, duodecim videlic. Seniores Iſraëlis futuros, ac Monaſterij, quaſi novę Ieruſalem cuncta negotia adminiſtraturos, inſcripſit: mandatum ſibi id Cœlitus adteſtabatur. Veterator paulatim hoc aſtu ad regiam dignitatem, cui aviſſimè inhiare, aditum maturavit. Ecce quęſo, quā ſutela nequiſsimus hic ſutor Magiſtratum Deo placentē exauthorarit, opeq; fraudulentiſsimorum inſomniorum, nativaque impoſtura dignitatē iſtam poſſederit. Poſtea propheta hic Concluſiunculas non-

nullas

nullas poylgamiam innuētes proponebat: renitentes primum Eccleſiaſtæ repentè tamen ipſi acquieverunt. Paulo poſt Propheta tres uno faſce uxores ſibi adjunxit, quorū potiſſima Ioannis Mathiſij Prophetæ interempti vidua, quam Reginæ titulo poſtea decorabat. Regis hoc exemplum facilè huius ſimiles ſecuti nebulones alij: verum non pauci pijque cives, quibus hæc res odio, ad forum decurrentes in Prophetam Knipperdollingium manus iniecerunt: vulgus autē armis arreptis cives iſtos in Curia invaſſere, iiſq; captis Prophetam & Eccleſiaſtas liberarunt. Cives novem & quadraginta nefandū in modum obtruncati. Clamare tum Propheta, cunctos eos, qui manus iſtis Dei hoſtibus violentas inferrent, Deo beneficium præſtituros; unde quidam uncinis diſcerpti, non pauci ab ipſo Knipperdollingio detruncati. Vigeſimo qnarto Iulij, hoc eſt, die nativitatis Ioannis Baptiſtæ, anni M D XXXIV Monaſterij [quaſi Monſterij, à mōſtroſa ac portentoſa Anabaptiſtica illa progenie nominati] novus ab inferis Propheta ejectus eſt Ioannes Tuyſentſchrever, aurifaber

faber vvarendorpenſis, hic omni plebi ad forum vocatę ſanctiſſimum Prophetam Ioannem Bukholdum Lugdunenſem ad regiam Majeſtatem evectum iri, ſedemq; patris ſui David æternam, omniq; Majeſtate altiorem occupaturum nunciavit; hiſce prolatis geniculans Bukholdus id ſibi ante decē dies à Deo patre patefactum eſſe indicium fecit, coactuſque voluntate regni moleſtias amplexus eſt. Plebs attonita à ſcelere iſto comam circumctundi paſſa, imo quicunque fraudem ſubolfaceret præ pavore mutire non auſus eſt. Etenim hoc necis pabulum aliquot jam incurſionibus fortiter depulſis authoritatis acie excelluit. Ecce de Sartore Leydenſi MonaſterienſisRex factus Ioannes Bukholdus cunctis regiæ dignitatis inſtrumentis inſignitur. Continuò duodecim conſiliarios de gradu ſuo dejiciens de more proregem, aulæque præfectum, ſilentiarios quatuor, heroem, cancellarium, pocillatores, carptores & prægustatores, architectos creavit ac conſtituit, cæteraq; officia principum more diſpartitus eſt, veſtimenta regis undulata, ſerica, holoſerica, coc-

cinea, imò aurea ornamentis ſacrilegis, dici vix poteſt, quàm artificioſè, perque quàm ornatè ac baſilicè intertexta, auro interſtincta, fimbriata, filicata, peruariegata: Calcaria deaurata, coronæ duæ ex auro ſolidæ, vagina aurea. Regem hoc ornatu prodiuntem laterones duo juvenes aulico ornatu magnifice ornati comitabantur, quorum alter enſem euaginatum, cuius manubrium auro gemmiſque precioſiſſimis coruſcum, alter S. Biblia, coronamque auream margaritis ſplendidiſſimis intermicantem oſtentare. monile aureo unione fulgidiſſimo ſplendicãs, pomoque aureo, mundi quaſi imagine, duobus gladijs decuſſatim tranſfixo inſignitum collo pendebat. Sceptrum aureis annulis tribus decoratum. Heroes, octo & viginti qui numero, viridibus ac cinericeis veſtimentis amicti, niveaque cydari inſignes comitabantur. Regis titulus, *Rex Juſtitiæ, Rex novæ Jeruſalem.* In foro thronus tribus gradibus ſublimis ei erectus, qui regi eo deſidẽti veſtibus Attalicis circumcingebatur. Nõnulla numiſmata percudi juſſit, in quibus Latinè hæc cælata; Verbum caro factum

quod

quod in nobis habitat. Vrbe etiamnum obſeſſa Prophetæ Doctoreſque librum, cui titulus Reſtitutiones, juris publici fecerunt, quo monſtroſum, Monaſterioſum dico, ac ſeditioſum tumultum, alioſque propè infinitos errores defenſum ire: verum iſti peſtiferæ hydræ Euangelicum objectum alexipharmacum. Menſe Auguſto circiter diem Bartholomæi Ioannes Tuyſenſchever omnibus penè trivijs tubâ quemque ad Aulam Dominicam convocare, ubi ſplendido ac Sybaritico cõvivio parato, omnẽ populum magnificè excepit. Rex ipſe, Regina, aulicique cuncti epulo inſervire: menſa ultima ipſe ſingulis panem azymum porrigere, dicens, accipite, comedite, & mortem Domini decantate: hocque pacto Regina poculum circũferre, quo ritu ſatis pollucibiliter celebrata Domini Cœna, aut potius voluptatis, libidinis, ac temeritatis ſcæna. Fame epulo iſto probè exempta, Propheta Tuyſenſchever concionem aſcendit, Deiq; verbo obedientiam & obſequium præſtandam ab ijs laceſſit: annuere uno capite, uniſque quaſi oculis; quibus ille, hoc patris cœlitus patefa-

cti oraculũ, octo & viginti Eccleſiaſtas urbe hâc egreſſuros, doctrinamque noſtram univerſo terrarum orbi denunciaturos, quorũ nomina laudare, iterque, quà capeſſendum, deſignare, ſcilic. ſex Oſenbrug, totidẽ VVarendorpium, Soyſt octo, cujus contubernij & hic fuit, Coeſveldiã reliqui. Poſt hæc Rex cœnam inſtruere, eoſque ſub facem noctis ſecundam ad iter accingere, cuique nummum aureum hac cõditione largiri, ut pacẽ ſuam flocci facientibus, eum, impendentis cõdemnationis notam atque judicium deponerent. Illi vias ſuas iuere, neque, rediêre, qui, uno ſaltim furcæ erepto, ſeditioſis digno ſupplicio adfecti ſunt. Etenim urbes prælaudatas ingreſſi horrendum in modum eiulabantur, reſipiſcite, reſipiſcite, ſecuris arbori addita eſt, niſi reſipiſcatis, ac rebaptizari præoptetis, actum eſt, ilicet. Verùm dictorum oppidorum Senatus eos adprehendi, ac ſibi patrocinij ſui ergô conſiſti jubebãt, qui ſeſe divinos Euangelij præcones à Deo evocatos, ac dimiſſos eſſe reſpõdere, omneſque doctrinæ ſuæ favitores baptizandos, bonaque cuncta in commune coacervanda: verùm

rùm hæc nauci facientibus auream à ſe ęternæ damnationis monetam relinqui: imò à temporibus Chriſti & Apoſtolorum Euangelium non, uti par erat, condocefactum: ſed Prophetas duos propriæ veritatis traduces cœlitus quaſi delapſos, Ioānem Leydenſem novæ Ieroſolymæ Regem, ac Davidē Georgium Delphico-batavum: complures pſeudoprophetas eſſe, ſcilicet Romanum Pontificem, & M. Lutherum VVittenbergenſem, ipſo Pōtifice nequiorem. Capti, inque numellas cōjecti; è quibus tum quæſitum, quo jure ac privilegio homines piētiſſimos, una cum uxoribus liberiſque, fidei ſuæ fide non datâ, urbe ab ſeſe extruſiſſent, boniſque omnibus exhæredaſſent: Horam, quâ Chriſto teſte manſueti ſuperciliòque carētes terram poſſeſſuri, illuxiſſe, in vicem proloqui, ſimilem quo Deus Iſraëlitis Ægyptiorum cimelia diſpartitus, modum obſervantes. Porrò Monaſterium commeatu præſidijs apparatuque omni bellico inſtructum, pluraque e Zeelandiâ, Hollandiâ, atque aliunde à Rege ſubſidia exſpectari gloriabantur, quorū adjumento & operâ is totum terrarum or-

bem in ditionem ſuam redigeret, cunctiſque impijs & refractarijs principibus ſubactis pacifero Iuſtitiæ regno potiretur. Eo tẽporis alius Cœlo Propheta excidit Henricus Hilverſius nebulo nobilis, hic tres ſibi urbes opulentiſſimas à Deo donatas Cœlitus patefactum eſſe Regi explicuit, Amſtelodamùm, Daventriam, & ad Lippam VVeſelã: is nuncio devino exaudito conſilium, quos potiſſimùm eò, ad Baptiſmate ſuo baptizandos, ablegaret, ſuiſcum conſiliarijs inijt. Primum Ioannem Campenſem Amſtelodamum urbis futurum primarium, cui ſocium comitemque Ioannem Mathiſium Metelliburgenſem addit. Hi in Hollandiam miſſi ex inſidijs ſeſe apud ſuos cohortales continuêre, plurimaſque urbes doctrinæ ſuæ veneno deleterio infecerunt. Etenim Lugduni Ianuario ſequentis anni M D XXXV non pauci, Anabaptiſmi ac contagioſorum conventuum ergô, mortis baptiſmate baptizati ſunt. Ad finem anni M D XXXV Regius ille ſartor virum verſipellem, reique bellicę ſcitiſſimum in Friſiam miſit, cui magnam auri vim ex ſacrilegijs coacernatam tradere, quo

in

in Zelandia milites conſcriberet, urbemque obſidione arctiſſima ſolueret. Profectus negotia ſua clanculum ſuiſcum expedivit, tandemque Martij ultimo anni M D XXXV aliquot cẽtenis militibus cõtractis Cœnobiũ, quod & Vetus Monaſteriũ dictum, inuaſit, monachoſque expulit, cunctiſque direptis, plures lucrifaciendi ergô caſtra ſua mentatus eſt: verum Georgius Schenckius Friſiæ tum præſes collectis ocyſſimè copijs tumultuarijs tumultuantes illos obſedit, atque irruptione impetijt, quam licet fortiſſimè propulſantes non ſine cæde, ſanguine, aut ſicco Marte deprælíatus eſt, duobus & ſexaginta exeptis, qui Leovvardam avecti, atque ob audaciſſimam ſtultitiã mortis ſtipendio donati ſunt. Prælio iſti ſubducens ſe ipſe primipilus, caſtrorumque præfectus Ioannes Gelius Amſtelodamum, majoris cladis patrandæ ergô, aufugit: permultis illic Anabaptiſtis, quîs Iacobus Campenſes glaucoma obduxerat, repertis aureos colles polliceri, magnificeque de magnificentia ac libertate Monaſterienſium Anabaptiſtarum gloriari, novumque Iuſtitiæ terrenæ regnum

 crepitare:

crepitare: etenim fama obſidionis ac defenſionis Monaſterienſis plurimorum animos perculerat, quandoquidem urbs ingenti exercitu circumcincta ſuis tamen ſacris operaretur. Hinc urbis libertas ac magnificentia ſuprà fidem ac veritatem efferri, plurimique iſtam fortunam avide deſiderare. Erat itaq; Amſtelodami civis Henricus Gotbelit homo ſtrenuus ac bellicoſus, qui Anabaptiſticis undis illectus cum Ioãne Geelio operas mutuas navare: etenim permultis offucijs atque aſtu, quas repetere precium non operæ, ſexcentos Anabaptiſtas abortiverunt, quorum ſocietate Amſtelodamum invadere, ſibique lucrari, & religionem Monaſterienſem inuehere ſumma ope adnixi ſunt: nam Maij decimo primarij commanipulones in ædibus Petri Gael convenientes in forum noctu excurrebant, jam ſuis magis magiſque alluentibus vigilum nonnullos ceciderunt, captivoſque nonnullos detinuerunt. Cives verò coaleſcentes ſclopeta in Anabaptiſtas exonerarunt, qui tamen conſulibus ſuis crudeliter interemptis, à pedibus ſalutem quæſivêre: ſed denuò majores

vires

vires reſumētes, inque Deuterobaptiſtas irruentes cruento prælio devicerunt, quo Ioannes Geelius & Gotbelit periêre: Iacobus Campenſis captus, ultimoque ſupplicio adfectus eſt. Iam tumultus alij alios iſtis locis trudere, quibus vix abſq; ingēti probiſſimorum noxa ſubveniri potuit: fuere clādeſtini traduces qui occultatè Regni Iſraëlitici Reſtaurationem, ut vocabant, præſtolari, quorum unus Lugduni deprehenſus, quæſtionique ſubjectus Regem Anabaptiſticum Batavum Vltrajecti commorari, ac nondum regno initiatum, attamen ſecundum ſpem in fidem acceptum eſſe confitebatur; ab hoc cùm vaſa aurea & argentea, aliaq; ornamenta dolo malo delubris erepta, tùm nonnulla deteſtanda, quæ cum ſuis attentarat ſcelera, patefacta ſunt, Davidem Georgium innui perſuaviſſimum eſt. Pace tua Lector humaniſſime deſcriptionis meæ ſtamen prolixiori verborum trama, de putridiſſimis hiſce titivillitijs pertexi, utiliſſimum exiſtimato. Quamquam Ioannes Bukholdus cæterique Prophetæ ignaræ cupidæque plebi Arabum quaſi divitias addixerit, indies tamen obſidi-

one preſſi cives magis magiſque anxietate, fameque, quod miſerrimùm, oppreſſi, plerumque, uti fit, latrante Stomacho inter ſe ſublatrare, murmillare, conqueri, clamque ſuper Rege capiundo, hoſtibuſq; tradundo, paceque eo pacto coaugmentāda conſultare. Rex doli omnis ſutor ac ſarcinator capiti ſuo metuens omni è populo duodecem-viros fidiſſimos, quos Duces ille, elegit, quibus ſingulis ſua ſatellitia, partemque urbis aſſervandam dedit. Inde civibus ante Paſchatis feſtum ſe obſidio arctiſsimo liberatum iri ſpoſpondit: nuncium namque in Zelandiam, Hollandiam & Friſiam dimiſſum cum contractis in arctum ſubſidijs adfuturum, atque incurſu ardentiſsimo urbem liberaturum cōfidebat: at Spes ſpei, & ſalus illi ſaluti eſſe nequijt. Ducibus, quos vocabat, electis, mirùm quantas gazas, Pactolique opes mendaciſsimas, Midæque theſauros, bonorumq; maria, fortè ſomnians, pollicitus, ijſq; ſe ab urbis ſolutione Duces, ac Provinciarū futuros Dominos perſuaſit; nominatim Ioanni Denkerio Saxoniæ Electoratum conceſsit. Ecce mēſe Februario permultis fame

emori-

emorientibus, & enectis, Reginarum ſuarũ una, (plures enim conduxerat) Elza, ſeu Elizabeta Chirothecaria dicta, ſævisſimum famei gladium Deo non acceptum eſſe fortè effutire, quo ipſe inaudito, in forum cum alijs uxoribus productæ, inque medio ſuarũ ingeniculanti caput abſtulit, eique inſultans ſcortum proſedamque eam fuiſſe, ſibique immorigerã eo teſtatus eſt, alię hũc Hymnũ accinere, Gloria ſoli Deo in altiſsimis, &c. Iam Paſchate illuceſcente, nullaque ſpe liberationis adfulgente, plebs jure ſummo ſummoperè obſtupuit, neque hæc patienter tulit. Ibi tum Rex populo palpum obtrudere, ægrum ſe ſimilare, poſtque ſextiduum ad forũ procedere, liberationemq;, cuius indiciũ fecerat, ſpiritualiter eſſe intelligendã, quâ certò potirentur: etenim ſe aſino inequitãtem, molemque peccati angariantem, ſuoſq; peccatis jã exemptos inſomnio divino vidiſſe certo certius adfirmavit: at mutuò aſini ſcabere, & cæcus cæcos meritiſsimò circumducere. Miſeria eſt, profecto miſeria, ærumnas, cæteraſque famei atque inopiæ diras opes refricare. Permulti tantæ ſamei impa-

impatientes,non miſericordiæ, ſed mortis accerſendæ gratiâ ad hoſtem tranſfugerunt: non pauci manibus genibuſque obrepentes fugæ operam navare, etenim debiles adeò atque impotentes, qui ne pedibus quidem terram figerēt: multi intermedijs vijs, ſubſidêre,concidêre,intermortui. Ibidem tum videri frontes genaſq; lividas, collapſa tempora,oculos concavos,nares acutas,auricillas verſas, labra lurida, fauces araneantes; breviter Facies Hippocraticas, viva cadavera,hominumq́; raras umbras: In urbe Eruū, Rapiſtrum,aliaq́ue ſeverāt:quas ad tempus Stomacho obmurmillanti delicias offerebant: ſed his famelico ventre abſumptis, feles,glires,ſoriceſque fame quoque contabeſcentes,dubiæ epulę: nonnulli eò obſcænæ neceſſitatis redacti,qui carnes cadaverū conditorum depaverint,ſoleas ſculponearū aſſarint,præſegmina alutacea,aliaq́; cōciderint,miſcuerint, pinſuerint,viceq; panis uſurparint. Ad hæc malè pertinaces cives doctis dictis & phaleratis in tranſennas ſe illici neſciebant, quibus magnanimitatē liberationem-

tionemque conſtantiſſimè à Deo deſiderandam monuit, fugam vero intendentes, ſuaſque ærumnas ſubterfugientes ſuo juſſu accerſit, quibus peculator peculio omni ſpoliatis, exeſte, atque ad hæreticos exite, loco vale, dixit. Rex quamuis penes ſe domi ſibiq; ad mẽſes duos ãnonæ affatim coadſervarat, capta auſpicia quo urbem oblatrantẽ commeatu conſolaretur. Ecce quidam Ioannes Longeſtratenſis à ſecretis regijs non ignobilis, Regique benè fidus, qui urbi famelicę & annonam & copias auxiliares (trecentos nempe milites) ſpatio dierum quatuordecim ſe illaturum gloriatus eſt: hoc prætextu ad hoſtem effugit, urbemque certo auri precio, vitæ precium interponens, Epiſcopo dedit. Veſpera Sancti Ioannis huic rei dicta, horaque decima, quâ portam Crucis dictam recluſurum juramento adfirmarat. Porro hic annonæ ſtructor urbem repetens Regi victum copiaſque intra dictos dies paratiſſimos fore fide ſua juſſit. Dictus dies aderat, quo excubitoribus noctu copias adventitijs, abundeque ſatis ſtellaturæ adfuturas retulit,
quas

quas placidè cauteque exciperent: Panduntur portę, hoſteſque in urbem, quaſi alteram Troiam, intromiſsi, ſymbolo excepto datoque milites ſtationarios reliquoſque trucidarunt. Iam arma arma conclamari: Rex aulicique in arma collecti hoſtem ad portas, quas cives concluſerant, retroëgerũt: hoſtes reliqui necdum admiſsi, foris eas arietare, eaſque vi infringere, queis diffractis ſigna tollere eaq; vibrare. Cives primo impetu fortiter reſtitere, ſeque in foro in arctum collegerunt; prælium iſtud ſanè atrox & cruentum! In Regem ipſum, Knipperdollingium, Krachtingium hoſtiles tum manus injectæ; at Rotmannus ſpei ſalutiſque nihil ſupereſſe ratus in denſiſſimas hoſtium turmas ſe ruens contritus eſt, ſperare namque is mortem vivam. Anabaptiſtæ ſuo Regi capto ingemiſcentes animi ceciderũt, ſeque penarijs, culinis, alijſque latibulis abdidêre, urbs atrociſſimè compilari, eamq; ij dies decem perſcrutari; annona Aulâ Regiâ ducentis duos mẽſes ſuſtẽtãdis Regijs ſatellitijs reperta eſt. Rex bone, ubi bonorum annonæque communis veſtra religio? Haſce atroces pœnas

urbs

urbs iſta anno MDXXXV dedit. Tertio huius excidij die Rex in arcem Dulmen tribus milliaribus diſſitam abductus eſt; Epiſcopus ocyſſimè Regi ad ſe vocato, ô homo perditiſſime, quā deplorandis modis gētem meā adulteraſti, ac perdidiſti! Rex in-vicem animio defæcato elatoque reſpondere, ô Papa, num urbem munitiſſimam invictamq; dedendo quid detrimenti attulimus? ſin vero quid jacturæ aut noxę illatum arbitreris, te conſilio noſtro audientem facilè ditaro: Epiſcopus vix riſui parcens rationem iſtam ex ipſo laceſſit, cui refert, cortē aut corbem ferreum parato, corioque obducito, meque eo per omnes regionis oras ſpectandum circumferto, extarque ſtuferum expoſtulato, accepti iſtam expenſi bellici rationem ſuperaturam confide. Melioris notæ Anabaptiſtæ Regis imaginem æneo nummiſmati characteribus hiſce D. V V. F, additis inſculptam collo geſtabat, quibus Verbum Carnem Factum ſignificabant. Cæterùm Rex cum ambobus ſocijs hac atque illac captivus abductus, ducibuſque ac multis Landtgravij Eccleſiaſtis exibitus eſt, quæ ijſcum

ipſo

ipſo de nonnullis, nimirum Regno Ieſu Chriſti ac Magiſtratu, Iuſtificatione & Baptiſmo, Cœna Domini & Chriſti incarnatione, conjugioque diſſerendi occaſio fuit: qua tantùm teſtimonijs ſacro-ſanctis effecerunt, qui Anabaptiſtam Regem fervidiſſimè licet repugnantem in non paucis ad incitas redegerint, qui diſputatione altera ſpe vitæ [uti ajebant] obtinendæ, Anabaptiſtas per Holandiam, Brabantiam, Angliam, ac Friſiam plùs nimio diſperſos ſe domiturum, ſeque Magiſtratui omne obſequium delaturum adfirmavit. Ianuarij vigeſimo anni M D XXXVI ſuiſcum ſocijs Monaſterium reducitur, ſejunctiſq; ac diſſociatis cuſtodijs aſſervabantur. Duo dies erroribus eorum runcandis atque exſcindendis inſumpti ſunt: Rex autem ſcelera ſua confiteri, ac Chriſto ſeſe totum penitiſſimè cõcredere; ſocij pertinaciſſimè cauſæ ſuæ fruſtrà patrocinari. Die ſubſequente ad catãſtam Rex producitur, ſtipitique adalligatur, atque à duobus tortoribus forcipibus candentibus diſcerpitur; primos dolores ſupprimens, ad alteros Dei miſericordiam implorabat;

plorabat; totus volſellis iſtis horam integrã diſtrahitur ac dilaniatur, tandemque, mortis maturandæ ergò, machæra tranſuerberatus eſt: ſocij idem ſupplicij baptiſma deguſtarunt, ac pertulerũt, quorum cadavera ferreis corbibus incluſa de turri Sancti Lamberti æterni exempli anathemata ſuſpẽdebantur. Atqui hoc noviſſimum Monaſterienſis tragœdiæ odeum.



Hic qui ſe Chriſtum, & qui ſe jactarat IESVM,
SERVASSE haud potuit ſeq; ſuiſq; fidem.

A Rege Anabaptiſtico varios nuncios ac Legatos in Hollandiam, Friſiam, aliaque loca milites conquirendi cauſa dimiſſos Monaſterienſis exibuit hiſtoria, qui tumultu concitato Epiſcopi caſtra Monaſterio deturbarent; quorum de grege Nicolaus quidam Alcmarienſis Ioanne Mathiſio non indignus Apoſtolus, qui in Friſiā dicti negotij ergô profectus permultam Anabaptiſtarum farraginem, Monaſterij liberandæ gratiâ, hinc inde corraſit: ſed ut quàm certa ac fida fide effectum daretur, duos contubernales Antonium Ciſtarium, & Iacobum Officinatorem Monaſterium ablegarunt. Hi duo, alijque voti ſui omnis omnes compotes facti ad pagū Op t'zāt dictum in ædes Epponis cujuſdam undique facto quaſi agmine, nuncij recentioris inaudiundi cauſa, die cæcâ confluxerunt, quod a ſuis legatis accipientes, præ lætitia, iſtoque euangelio ad tumultus ſe dediderunt: horum princeps quidam Hermannus [omnis abominationis] Sutor Opt'zantenſis, qui ſeſe verum Prophetam, ipſumque Meſſiam,

Redemptorem ac Ieſum, imò (meminiſſe horreo !) Deum Patrem profitebatur. Hic lecto ſeſe pube tenus nudum, juxtaque ſe cereviſiæ dolium deponi voluit, quod alternâ amyſtide potare deſiderabat ; etenim ſitim quaſi Caninam aut Dipſadeam vociferatione nimioq; boatu contraxerat: Is namque aliquot dies Epicuri de grege porci more inſanè ebrij voce quaſi Stentoria, horribilique eiulatu inter cætera hæc crepando ingeminarat, Occide, iugula ſuſque deque Monachos omnes, Papas omnes, & quemcunq; , ac in primis Magiſtratum noſtrum: reſipiſcite, reſipiſcite, propè enim veſtra liberatio, &c. Nõnullis interim alius religionis adſitis pacem non ſine diriſſimo mundi, quod imminere, judicio rejiciendam vicariâ ſuorum commilitonum ope denunciavit, quos ſolicitando ac pollicitando in fraudẽ ſuam pellicere ſumma ope adnitebatur. Porró quoſdam ſuorũ carceri nobilis cujuſdam Ioannis ab Holten armata manu eximendorum ergô, hac conditione dimiſit, ut quemcunque verbis aut verberibus obnitentem aut ſclopetis aut gladijs configerent.

gerent. In liberatorum captivorum reditu virum (preſbyterum fuiſſe opinio eſt) foràs proſpicientem ſclopeto, nî fores ac tergum obuertiſſet, cõfeciſſēt. Noviſſima iſtac nocte, qua mundum cineri doloſo ſuppoſitum illo Mediatore atque interceſſore ab impendente fatali judicio jam jam (uti putabat) in liberitatē adſertum iri exiſtimarēt, ſanè quam plurimi, qua data via, obuijs ulnîs amplexari, qui citra hanc Baptiſmi arrabonem æternum inobedientiæ atque exitij theſaurum ſibi ſperabant. Hoc Anabaptiſmo hoc ritu celebrato prælaudatus ille Parens ſuos ad precationem hiſce adhortatus, orate, orate, orate, orate, labiorum ſuorum quaſi roſtris Ibicis noſtræ in modum prægloterabat: inde in genua provoluti preces cantuſque mira viciſſitudine alternabant. Forte caupo ædium harum dominus, qui claudus, Patri huic aſſidere, ad quem Pater converſus, ſurge & ambula inquit. Eppo equidem claudicans, ſeque cunctos dolis improbe conſutis deceptos eſſe ſentiens, ſeſe ſubduxit, præque metu inde procul alienis ædibus operuit. Poſt hæc

 alius

alius quidam Cornelius Cœmiterienſis mirùm quantùm obſtupefactus adcurrere, cũque (temeritatis omnis execrandæ) Patre ſuo grabato decumbente, atque imaginoſo, Mediciſque penè ignoto morbo defatigato, hora plus integra hæc colloqui; ô Pater, populum tuum reſpice! populi tui miſereſce! miſericordia tua, ô Pater, tangantur viſcera! &c. Quibus impulſus Pater è dolio iſto penè exhauſto cereviſiæ amphoram depromi juſſit, quam Filio prælibando ad fæces ebibens, ait, Spiritum Sanctum compota: Filius patriſſans Patris ad exemplum eo exterſo, lecto ſe corripiens in adſtantes inſilijt, poculumque alterna manu mutitans huc atque illuc debachabatur, & cum Patre [qui ex imaginoſo, & cum riſu delirio decumberet] hæc inclamando ingeminare, Mortificate carnem, Carnẽ mortificate, Caro Diabolus, Caro Diabolus, carnẽ mortificate, &c. Repente ecce alius ſingulari [uti imaginabatur] viſione præditus ad idẽ furoris exemplũ vociferãs, qui tamẽ (uti aiũt) aliquo (imò omni) modo inſãire. viarũ interea ævi matura mulier diſcurſu atq; ciulatu filij

iſtius


iſtius penè exanimis, quę precari, Lunaticū ac Dæmoniacum compeſceret̄, & gyrgatho includeret̄. Diro hocce Orci ſatellitio plebs ſtupefacta fidei iſti fidem dare cogitur, utpote cuius veritatē Prophetica iſtæc ora mentirentur. Furoris iſto in dilucida intervalla paroxyſmo converſo, arma telaque omnia deponenda, veſtimentorumque phylacteria, fimbrias, limbos, atque induſia ſtriata exuēda, imò mulierum collaria, & quæcunque oneri, rejicienda monuit, modū, quo Deus inermis pro ijs prælium deprælиaretur, hoſteſque cunctos peſſūdaret innuens. Iners & mobile vulgus doctrinæ iſtius rabie tactū corpora omni indumēto levare. Homo quidam minimè malus cultellum abjectum cōſultó reſumit, filia limis id obtuens parētem redarguit, cui ille, parce, parce filiola, in poſterùm enim in ſcindendo pane nobis uſui. O hanc ſemel, illum bis puerum ſenem! Quū gyrgatho digniſſimus Filius eo eiulatu popellum faſcinatum tum ad cantus preceſque, tum ad Diabolo obſiſtendū adhortaretur, continuò Parens cum ſuo, in quo acquieſceret, filiolo apparatum bellicum

precationis jam tempore finito, belli ingruente arripi monuêre, in cathedram aſcendere, ſeque circumſiſtẽte teſte populo alta voce Dei Filium conteſtari, Mediatoremque ipſiſſimum ſe jam demùm natum vociferari, &c. Quærere tum ex matre ibidem adſiſtente, num Filij Dei genitricem ſe agnoſceret; cui tandem volens nolenſque innocentiſſima annuit. Iam plures in fide acceptâ vacillare, hæſitare; ecce aliquem dubiam mentem aperientem, ſibique obloquentem medium Filius amplexus in fimoſas colliquias immergit, tuo merito ad inferos detruderis, inquiẽs: eo exin ſordidatè emergẽte, plurimi eâdem imbalnitie ac proluvie ſe ſordidatos atque tactos uno ore dixêre. Inde ilicò rumor de Dei Filio impius extra limẽ diffundi, quo audito Monaſterio reverſus legatus ille Antonius indignationi vela quaſi dedit, inq; ædes vi, verba iſta ſacra vindicaturus, introrumpit. Parens cum Filio neminem intromittendum ſtrenuè monet, is tamen, corona quamvis circumobſiſtẽte, blaſphemum illum acerrimè increpãdo in hæc erupit; ſcelus, & terræ pondus lethiferũ,

quâ

quâ intemperie, quaque inſaniâ Filij Dei titulum impunè adſumis? quibus dictis, iræ fermento efferueſcentem in terram ſe ruit, populus vi in illũ irruere, contundere, mulcare, eũque quaſi pilam habere; qui plagis bellè onuſtus exſurgens, populique turbam perrumpens erupit, exceſſit. In via ecce patinam viginti pedes latam, in glacie tum jumentis diſciſſã, quam ope (uti ajebant) Diabolicâ tranſcucurrit; plurimi illum indagando operam perdiderunt. Fucum ſibi factum ſentientes omnes, metu nobiliſſimi Caroli Geldri proregis Groningenſis (Reguli Geldrenſis nomine) qui compeſcendo illi tumultui tum dimiſſus, clanculum ſeſe ſubduxerunt. Verum ante fuga quam cuncti abirent, eorum quidam Drevvijs nominatus (quem illi Doctorem Nucium) bile concepta Patrem etiam tum decumbentem arripiens, hiſce intonuit, nequam, trifurcifer, ac patibuli pabulum, ubi, ubi nunc, precibus finitis, dominãdi veſtra authoritas, &c. De lecto eum collo obtorto detractum ſociata ope loris ligarunt, noctiſque tenus crepuſculo diligenti cuſtodia ædium dominæ

aſſervandū dederunt. Interea cum ſuis ſtrenuiſſimus Carolus ædes iſtas cinxit, obſeditque, mulier iſtæc videns, lora diſcidit; loris liber tridentem arripit, quo, impetu quaſi gladiatorio facto viros quadraginta per alienas ædes in fugam dedit: qui iſtos perniciſſimè perſequēs ab alijs de improviſo opprimitur, Groningamque devectus eſt. Sed ecce quò [veritatis omnis] nudus Meſſias hic tridentifer, atque ultrà crepidam calcearius aut Sutor tot tridēte in fugam converterat, loci eô hydrophobi Anabaptiſtę devenientes Deo immortales pro loci uſura religioſiſſimâ gratias retulerunt. Ex nequam hoc Meſſia Groningenſibus vinculis probè verſato per tormenta quæſitum, num iſti (quorum is caput) cōventus religioſo ſanctimonię purpuriſſo fucati publicis peculijs emūgendis (uti plures arbitrati) aperirētur, quod tamen [uti alij] pernegatum eſt: is enim ſæviſſimis tormētis animum obfirmās, occide occide occide Monachos, Papas, Magiſtratus cunctos occide, ac in primis noſtrum. Hiſce vociferationibus miſerè defatigatus atque exanimatus eſt.



Quis quæſo hic Sartor nudus qui deperit? ille
Qui rogo Cernentis nomine dignus erat?

ANno 1535, Februarij tertio, Amſtelodami vico dicto Salario, ędibus Ioãnis Sifridi pãnicidæ, qui tum negotiorum ergò in Auſtriam abjerat, numero ſeptem Anabaptiſtę, mulieresq; quinq; Anabaptiſticæ cõvenerũt, cuius gregis primipilus Theodorus Sartor, qui Enthyſiaſmo aut ecſtaſi mira raptus humi ſe nudum incoram ſuis commilitibus ac ſororibus ſupinum extendens, non ſine pavore atque horrore religioſiſſimo Deum quaſi obteſtatus eſt; precibus ſuis jam finitis, ſe Deum indicibili Magnificentiâ glorioſiſſimum oculis uſurpaſſe, unaq; cum eo in Cœlis atque Averno, allocutumque fuiſſe, judiciumque illius jam jam imminêre adteſtatus eſt. Cuidam ſuorum tum dicere, æternæ condemnationis reus orcæa Charybdi demergẽdus es; ille Domine Deus miſericordiæ Parens mei miſereſce, exclamare, cui Propheta, euge, jam Dei filius es, peccata cui remiſſa. Vndecimo Februarij ejuſdẽ anni ijdẽ eædemq; maritis ſuis neſcijs ad idem Augię ſtabulum convolarunt. Propheta hic ſeu Videns tres

qua-

quatuorue horas cõcionatus caſſidem, thoracem, gladiumque, cunctaque arma ac veſtes Vulcano dedit. Ecce nudus, ſuiſque, quibus erat, ne quidem velatis, imperioſo eò omnes mandato adegit, utpote quos capite ſuo minus integros eſſe non oporteret. Porro Dei liberis cuncta terra edita repudianda, ac dedignãda eſſe adſerere. Cæterum quum veritas ipſa nuda terrena nulla pẽdigine deformari ſe patiatur, ad exemplum iſtud, veritatis atque Iuſtitiæ ergô, ſe conformandos eſſe cõfirmavit. Audientes hæc quam plurimi, pudore omni proſcripto interulas, ſubuculas, induſia, & quodcũque terram ſaperet, holocauſtum Deo obtulerunt Ædium domina amictuũ horũ conflagrãtium mephiti experrecta, inque ædes ſuperiores graſſata deplorandum hunc, atque inverecundiæ, impudẽtiæque facientem, deprehendit: verum integritatis propheticę vis & energia eò mulierem adducere, quæ eadem impudentiæ pice collutulari, inviſcarique ſe pateretur, quam ſe ubique inſequentem veritati inculpatæ ſacrificare juſſit. Hoc habitu pedem extra limen tertia forte hora efferentis alij

viriq;ue

viriq́ue fœminæque veſtigia nudi premere, horrēda voce, Vç væ vç, vindicta Dei, vindicta Dei, &c. exclamantes. Hoc errore phanatico tota Anticyra digniſſimæ belluæ per plateas omnes horribili adeóulutatu debacchabantur, ad illum omnis uti Amſtelodamum quaſi ad hoſtem irruentem concuti ac contremiſcere ſentiretur: Cives huius rei infandæ atque haud opinatæ (in noctem enim profundam furor hic incidit) ignari, armis ſe induere, gentemq́ue hanc impudentem & impudicam ad Curiam compellentes in vincula coniecerunt: huc delati pudicitiæ ſuæ conſulere pernolentes, Veritati ſuæ candidiſſimæ ac nudæ patrocinati ſunt. Intereà incendium ſagientes in ædes eas introrupêre, veſteſque in ignem projectas, lectumque inde accēſum admirati, ilicò flammas compreſſerunt. Lymphatici iſti, cerriti, & ad agnatos ac gētiles deferēdi, opinioni peſtiferæ pertinaciter quaſi lepades adhæſerunt, qui Maij quinto anni eiuſdem ob ſacerrimum impietatis ſuæ meritū capitales pœnas dedere, quorum unius cygnina quaſi cantio, Deū laudate perpetim! Alterius, Deus mala hæc ulciſcere! Reliquorū, Vç vç reclude lumina!



Hæretici plures viſi hic, cui viſus ego, illi
Pluribus jnviſusque Hæreſiarcha fui.

DAvid Georgius Delphico-batavus, religionis Anabaptiſticæ miraculũ, inferioribus in provincijs ãnos jam quadraginta verſatus, anno MDXLIV Aprili ineunte unà cùm conſanguineis ac congerronibus ſuis Baſileam iter adornavit, cujus rationem ac ſtatum quam diligẽtiſſimè anquiſivit; quo ad unguem quaſi pertẽtato, doctrinæ Euangelicæ nomine patria ſe pulſum, ac terris altoque miſeriarum hactenus jactatum confeſſus, loci quietiſque ſibi ſuiſque uſuram humiliter efflagitavit. Nonnullis hoc dolore lacrymiſque in ſui commiſerationem converſis, Magiſtratum Chriſti ac ſacro-ſancti Euangelij ergô civitatem impetrare auſus eſt; quo conceſſo, Deum juratiſſimum urbis favitorem futurum fide quaſi juſsit, pro cuius incolumitate vitam ipſam profundere ſe quàm paratiſsimos profitebatur. Æquiſsimis hiſce querelis votiſq; Magiſtratus commotus civem viperium accepit, dextras junxit, & cum ſuis probè improbis civitate donavit. Magiſtratus quid faciat? Ecce homo vultuoſus, habitu ingenuus, bar-

ba promiſſa, fulua, oculi cæſij, fulgeſcentes, gravitate comis, affabilis, amictu decorus, totus denique ad omnem probitatem modeſtiam ac veritatem compoſitus: breviter, vultus, habitus, oratio, cauſſa, omniaque externa, mediocria ac modeſtiſſima: interna, fucus, offuciæ, ac merum mendacium: breviſſimè Anabaptiſta ingenuus. Iam Senatus aliorumque civium animis inſpectis, integra familia comite Baſileam veniens à cive quodã cum ſuis hoſpitio exceptus eſt. Aliquamdiu Baſileæ nidum figens ædes urbanas ac prædium ſuburbanum aliaſque res præſtinavit, liberoſque nuptum dedit, amicoſq; benèmerendo non paucos devinxit: Etenim quandiu Baſileæ habuit, religioni, eleemoſynis, alijſq; ſacro-ſanctis operibus operam eam dare, quæ omnem ſuſpicionis fucum deſtituerent. Hac arte (annoſa vulpes, & fera hæc Lybica) plurimis os ſublinendo ad ſe pellicens eò dignitatis atq; æſtimationis religioſæ, quò ipſi libitum, provectus eſt. Ad fucatam hanc perſuaſionem ingens opum vis, pretioſaque cimelia facere, quæ partim ſecum, partim ex inferioribus

indies regionibus advehebantur, quamque adaugere magnifica ac ſumptuoſa illius utēſilium ornamenta, quæ quamquam ſplendida ac ſuperba, attamen modeſtia, munditie, modoque ipſo non ulteriora. Hi ædes haſce communes incolentes, ſectæque ſuæ pernicioſiſſimum contagium ſupprimere ſatagentes, tria quàm religioſè ſtatuerunt Primum, haudquaquam Davidis Georgij nomen profanandum aut effutiendum. Secundum, Patriam rationemq; eiuſdem haud temerè divulgandas; hinc nonnulli eum alicuius dignitatis virum, nonnulli negotiatorem, aut mercatorem nummoſum cenſuerunt, unde illi opum acerui obvenirent: alijs aliæ de hoc opiniones imaginoſæ & inſomnia, quandoquidem inquilini ipſi ignota huius rei regione verſarentur. Tertium, ne quis Baſilienſium in ſuæ ſocietatis contubernium ac conjurationem ſubreperet, cautè præcavit: Ingenium ictidum ac muſtelarum imitatus, quæ [uti adſerunt] nullas, locis ijs, quæ tenent, alites cohortales morſu impetunt: ad hunc modum ſectæ ſuæ per provincias inferiores litteris, ſcriptis atq; internun-

ternuncijs contagia ſerens fovenſque, ſua, quibus degeret, intacta atque integra ſervavit: etenim integrum licet jam biennium ibidem exegerat, ne quidem hominem religionis huius virus ac prurigo clandeſtina infecit aut tetigit; tanta myſteria! Hic quamquam à peregrinis nihil doli aut inſidiarum metuens, tamen per ignes cineri doloſo domeſtico ſubſtratos inceſſit. Ecce ſuorum aliquem fidem religionis novæ in dubium vocantem, è quo iuſſu ſuo ad ſe adcito laceſſere, num ſe Davidem veriſſimū Cœlitus in terras delapſum, cornu & tabernaculi Iſraëlitici redemptorem ac ſtructorem agnoſceret, ſciſcitatus eſt; cui is ore rotundo, Regni Iſraëlitici redintegrationem, aliaque ſecundum Prophetas per Chriſtum ac Meſſiā cōſummata, ac proinde nullum aliū præſtolādum eſſe, reſpondit. Quo non citra animi ſtuporem obaudito, illum videlicet generū ſuum iracundis acerrimiſque minis abs ſeſe extruſit, atque [pro dolor!] excommunicavit. His ad hunc modum peractis, uxor Davidis morbo, quo & ipſe poſteà, correpta ad plures abijt: mirum! qui enim Chriſto majorem,

jorem, immortalemque ſe dixerat, anno M DLVI ſecundo Auguſti moriēdo mortuus, exequiiſque ac ſepultura templi Parochialis honeſtiſsima donatus eſt, quas filij filiæq; funeri, generique, nuruſq;, famuli, ancillęq; civiumque corona denſiſsima itauêre. Hæc mortis calamitas diſcipulorum animos utpote ſpe immortalitatis ſperatæ excidentes, miris modis concuſſit ac torſit, quamquam triennij ſpatio ſe reſurrecturum, omniaque promiſſa (quæ ſuperſtes pollicitus) factis cohoneſtaturum pręſagierat. Huius obitu non pauci animos obfirmantes doctrinam hancce cum in ſuſpicionem tum divortium rapere ſategerunt; & quæcunque proba, ſana, doctrinæque Chriſtianæ homogenea obvijs ea ulnis amplexari, cętera carbone notare animi unanimis ſtetit ſententia. Interea nominis ingenui, doctrinæque clandeſtinæ ad vulgi, imò doctiorum aures, hunc illum Davidem Georgium luem, peſtem, perniciem, ſectæque calamitoſiſsimæ juratiſsimū fomitem, falſiſsimumq; à ſe natum Regem, ipſumque à ſeſe Meſsiam habitum, rumor perſonare. Hiſce concuſſus Magiſtratus fer-

vorem ulterius non prorogans ad gloriam Dei, Filijq; Ieſu Chriſti, quotquot peſtifera hac religionis pthiriaſi tactos in curiam coegit, quibus rerum ante aliquot annos geſtarum memoriam refricuit, illos nimirum Euangelij nomine Patrijs ſedibus depulſos, precibuſque humillimis in civitatem adoptatos, inque fidem à ſe acceptos, &c. Poſteà verò non Euangelij, ſed ſacerrimi Davidici fermenti ergó, quo etiamnum corrupti, Baſileam convolaſſe, animaduerſum, qui externo quidem cultu, veræ religionis favitores atque imitatores hactenus judicati. Primum itaque Senatus veritatis cupidiſſimus verum ac nativum ipſius nomen extorquere; etenim Ioannem Brugenſem (ut nonnulli volunt) nominatum arbitrantur. Alterum, num aut clanculum aut palam religionem ſuam, & quæ ea, diſſeminaſſet. Quibus nonnulli uno ore, veræ religionis ergô Patria ſe deturbatos, neque niſi legitimæ religionis ſectatores ac cultores ſe adſeruêre. Nomen autem præter natalitium aliud de ipſo non divulgatum; doctrinam aliam ſeu publicam ſeu privatam ſeſe haud agnoſcere,
 exceptâ

exceptâ eâ, quam privatim aliquando ſuggerere, quæ cum Publica haudquaquam diſconveniret. Magiſtratus hac animi pertinacia intellecta, undecim hoſce numero, ipſiſſimæ veritatis extorquendæ ergô, in arctiorem carcerem compegit. Interea Senatus nullum non lapidem movens, quoſdam libris ſcriptiſque Davidicis (qui non parùm hanc ad rem facerent) è ſitu ac tenebris adſerendis prefecit, quos Magiſtratus viris eruditione excellentibus verſandos atque ad unguem quaſi examinãdos tradidit, ut quæcunque veritati pugnantia volſellis denotarent, ſibique exhiberent: ij quibus curæ hæ curæ, hoſce ex ſcriptis iſtius excerptos articulos Senatui deſcripſerunt.

1. *Omnem doctrinam per Moſem, Prophetas, ipſumque JESVM CHRISTVM Apoſtoloſq; traditam ad ſalutem nequaquam ſufficiẽtem, verum ad homines quaſi adoleſcẽtes ac puerulos decenti officio coercendos promulgatam; Davidis Georgij integram, rotundam, atque ſaluti promerendæ ſufficientiſſimam.*

2 *Se ipſum Chriſtum ac Meſſiam, dilectiſſimum Patris, in quo acquieſcit, Filium, non ex ſanguine, neque ex carnis aut viri libidine, verum ex Sãcto & Chriſti Spiritu*

ritu prognatum, quē ſecundum carnem olim euaneſcentem, locoq; hactenus ſanctis omnibus inaudito aſſervatum, nunc demum Davidi Georgio Cœlitus ſuperin, uſum adteſtatur.

3. Eum ſe colendum, quē domum Iſraëlis, & ingenuam (doctrinæ videlicet ſuæ imitatricem) Levi Proſapiam, ipſumque Dei tabernaculum non per miſerias, dolores, cruces, uti Judæum Meßiā, verū omni manſuetudine, amore, & Spiritus Chriſti miſericordia à Patre ſibi donata Cœlo educturum adſerit.

4. Summa ſe vivificandi condemnandi, ligandi religandique authoritate præditum, ſeque die noviſſimo Iſraëlis tribus duodecim dijudicaturum probat.

5. Chriſtum Ieſum à Patre ob hoc ſaltim in carnem dimiſſum, quò doctrina ſua ſacramentorumque uſu homines quaſi pueros, doctrinæque veriſſimæ incapaces in Davidis Georgij aduentum officio contineantur, quē pleniſſimam atque efficaciſſimam doctrinam propagaturū, humanū genus exaſciaturū, Deique Filijque Dei, de eo, cognitioni Colophonem additurum ſuperaddit.

6. Verum hæc negotia non humano ritu, uti antiquitus fieri ſolitum, verum ſpirituali, modoque inaudito eventura, quæ nullum præter Davide Georgio dignos aſſeclas aut comprehenſurum aut pernoturum adfirmat.

7. Ad horum fidem ac probationem non paucis SS. Scripturæ teſtimonijs abutitur, quaſi cum Chriſto Apoſtoli locis, quos laudat, non ſeſe, aut ulla alia eccleſiaſtica tempora, verum unicum Davidis Georgij adventum deſignando innuant.

8. *Vnde ita argumentatus, ſi doctrina Chriſti & Apoſtolorum veriſſima, & ad ſalutem efficaciſsima, Eccleſiam, quam doctrina ſua cõformaßent ac confirmaſſent, haud quaquam diſruptam oportuiſſet; etenim adverſus ipſiſsimam Eccleſiam Infernæ portæ (teſte ipſo Chriſto) nequicquam prævalent. At jam Chriſti & Apoſtolicam ædificationem ab Antichriſto, uti id abunde (ſe teſte) in Papatu viſum, radicitus euerſam eſſe liquet. Vnde neceſſario, doctrinam Apoſtolicam laceram, & interruptam, ſuamque hanc doctrinam fidemque ſolum ſolidam & ſufficientem, concludit.*

9. *Porro ſe Iohanne Baptiſta, imo omnibus ante ſe ſanctis majorẽ eſſe confirmat, minimus namque in Dei regno (Veritate ipſa adteſtante) Iohanne major. Is ille David Georgius, cuius videlicet Cœleſte & abſolutiſsimum regnum. Hinc ſe non ſolum Johanne, verum & Chriſto ipſo ſuperiorem ſe facit, quandoquidem is ex carne, ipſus ex Spiritu Cœleſtem in modum enatus eſſet.*

10. *Porrò omnia peccata adverſus Deum Patrem Filiumque commiſſa remitti, cum Chriſto comprobat: verum in Spiritum ſanctum, id eſt, Davidem Georgium patrata neque hoc neque futuro ſeculo abſtergeri: unde ſe Chriſto (ſe ipſo teſte) majorem altioremque eſse liquidiſsimò apparet*

11. *Polygamiã liberam, cunctiſq;, imò & per Spiritum Davidis Georgij renatis perlicitam eſse conteſtatur.*

Hæc [cerebro carentia] capita nonnullis confeſsionis eliciendæ gratia ad eos, qui in vin-

vinculis, deferenda Magiſtratus dedit, qui acerrimâ quæſtionum acie laceſſiti, hunc illum (Davum) Davidem (dico) Georgium eſſe, qui tantas inferioris Germaniæ turbas ac ſeditiones moverat, reſponderunt: verum de doctrina iſta atque prælectis articulis nihil talequid aut legendo aut fando ad ſe perveniſſe unanimes adteſtari: nihilominus hanc doctrinam articulis iſtis expreſſam peſtiferam, execrandam, atque inferno nō cœlo editam, imò hæreticam, exilioque ęterno mulctandam & plectendam eſſe; ipſis, ſicubi hallucinatis, ad ſanā mētem poſtliminiò revorti pervolentibus veniam meritiſſimò efflagitandam. Inter hoſce clauſos quidā Davidi anteà juratiſſimus religione quidem iſta ſe infectum, verū errores inde ſcaturientes Dei gratiâ jam diu illuminatum cum animo ſuo odiſſe, eoſque cane pejus & angue devoviſſe confitebatur. Erant & de civili ſaltim amicitiâ huic notiſſimi, qui de ipſo talequidpiam pernoviſſe diffeſſi, ad articulos iſtos prælectos quaſi impios ac blaſphemos obhorreſcerent. Acta hæc ſelecti à Magiſtratu judices ad eundem detulerunt;

qui nonnullos inter cuſtodias mentis ſanioris eſſe intelligēs, eruditisſimos aliquot verbi divini præcones optimā, cunctis errorum zizanijs ſagaciſſime dimeſſis, fidei ſemētem ijs facturos dimiſerunt: Eó miſſi omni ęos humanitate, comitate, charitate ac manſuetudine pervenati, aliud quā præmiſſi iſti judices ex hiſce nihil laceſſere atq; electare potuerunt. Civicus ecce interea rumor percrebeſcere, neutiquam Patrem Davidem Georgium, aliove nomine nobilem, verū ſuem, vitulum, aut hædum (fortè & aſinū) orciniana ſponda elatum atq; humatum, demortui verò cadaver craſsis amomis lutatū mira religione cultuque coli atq; honorari. At rumor is tantum, nec vera fama. Cuſtodiæ iſtæ doctrinā iſtam inauditā ac theta nigro inurendam vultu tetrico deteſtantes, bonæque menti ſacrificaturiētes, ædibus ferricrepinis, quas menſes duos cuſtodierant, hiſce conditionibus eximuntur: Nulli urbana aut ſuburbana prædia Magiſtratu aut nolente aut inſcio comparanda. Nullos regionibus inferioribus hoſpites licet conſanguineos publico niſi hoſpitio ac Gręcoſtaſi excipiēdos,

libros

libros ſcriptaque Belgice traditos in Curiam conferendos. Nihil Chriſtianç doctrinæ heterogeneum in lucem unquam edendū. Pueros ritu inculpatiſſimo tollendos. Nulla inter ſe matrimonia ſusq; deque confarreādā. Nullos Belgas in familias aſciſcēdos. Pœnas, ſeu mulctas pecuniarias [ſi quę dandæ] æquo ac civico animo tolerandas. Die deſtinando in Parochiali templo tota incoram Eccleſia cunctis tum ipſiſſimam religionem cōteſtādam, tū totam ex aſſe ſectam dedignandam ac devovendam. Nullam cū ſectæ huius traducibus amicitiam ineundam aut colēdam. In quas conditiones pedibus ad unū omnes obnixè quam reverendiſſime gratiſſimeque ituros pollicitabātur. Factis hiſce ac trāſactis Senatus laudatiſſimus hæreſiarchæ illaudatiſſimi cauſam invadens, hæc decernēdo decrevit. Doctrinā Davidis Georgij diu multumq; appenſam & expenſam impiam divinęque Majeſtati vim inferentē, libros & ſcriptorū quaſcunq; in lucē datas reliquias, in lucem Vulcani edendas, ſectæq; illū execrādę turpiſſimū traducē, ſacerrimumq; Dei Chriſtiq; blaſphemū ſepultura Chriſtianis digna

digna indigniſſimum habēdum, ſepulchro à tortore eruendum unà cum libris ſcriptiſque omnibus proprioque antitypo ſecundum ius Eccleſiaſticum loco ſolemni flammis concremandum. Dicta ſententia, cadaver ſacrum effoſſum omnibus ſcripturis, quarum optima pars Liber ille (verè) Miraculoſus, unaque cum effigie a carnifice ad cataſtam producitur, vrnaq; ferali adaperta, parum id deformatum, plurimiſque etiam notiſsimum (veſte vndulata tectum, ſindone candidiſsima obvolutum, puluinario nitidiſsimo ſuffultum, barbaque flaveſcente etiā tum conſpicuum, denique capitio holoſerico, rubro panno ſubdititio ſuffulto, corollaque è libanotide implicitâ ornatiſsimum) propalam oſtentatur, annoque mortis ſuæ tertio una cum ſcriptis Vulcano vindici conſecratus eſt.



Omnia quum portenta voces hominemque Deumque
Infandi SERVES *nominis opprobium!*

MIchael Servetus, Simon quaſi alter Magus diu multumque cum Mahometiſtis ac Iudæis verſatus, horumq; imaginoſis opinionibus bellé fartus, cum ex doctrina theologica, tum ex univerſo religionis Chriſtianæ theſauro prodigioſa opinionum portēta ad lymphaticorum Mahometiſtarum ac Thalmudiſtarum exēplar imaginando ab Inferis protraxit, quibus hoc Satanæ organum Reſtaurationis Chriſtianæ laruam opponere auſus eſt. Ex hoc ovo Gallinaceo hi Reguli pulli prodiêre, Goneſus, Gribaldus, Blandrata, Gētilis, Alciatus, Simanus, Caſanovius, Mēno, pluresque Anabaptiſticę viperę principes, quę mirisſimas [in re novâ voce novâ uti fas] opinionum ſectarumq; undas decumanas moverunt. Nos, alijs lubentiſsimè ad orcum remiſsis, unius ſpecimen atque oculiferam per tranſennam circūmlaturi, atq; ab vnius religione horribiliſsima cæteras cognituri. Servetus hic natione Hiſpano-Aragonius, Medicaſtri nomine indigniſsimus, inauditoq; enthyſiaſmo raptus, illotiſſimas ſacro-ſāctæ Theologiæ manus iniecit, ſeque anno ætatis

quarto & vigeſimo unicum huius orbis doctorem ac Videntē gloriatus eſt, qui in Filij Dei Deitatem unicè idq; ſcriptis quam impientiſsimis atq; illaudatiſsimis inuehebatur, quibus ſuffarcinatus, tumultuūq; decumanorum commovendorum ſpe incaleſcēs Baſileā remigio veloq; paſſo abiturijt; verū Oecolampadius doctor eccleſiaſticus incorā frequenti Senatu huius blaſphemias perdoctè expunxit, eūq;, qua functus, authoritate publica blaſphemum peſtiferum eccleſia Baſilienſi deturbatū ivit. Inde Venetias proficiſcitur, ubi tamē, Venetis ab eruditiſſimo ſagaciſsimoq; Melanchone cautiſsimè præmonitis, infandiſsimarum bleſphemiarum meſſem nec collegit, nec ſementem fecit: nuſquam tuta fides. Verum tamē cum alijs ante ſe hæreſiarchis ad ingenium & volutabrum reverſus, unam Deitatis perſonam colendam atque intelligēdam, quam tum hoc, tum alio conceptu humano generi, treſque ad hunc modum notiones, Patrem, Filium, Spiritumq; ſanctū, in Scripturis adumbrari adteſtatus eſt. Imò Salvatorem noſtrum Ieſum Chriſtum humanæ naturæ reſpectu nequa-

nequaquam Dei filium neq; Patri ſuo coævum eadem blaſphemiæ fidelia dealbavit. Sanctiſſimum Spiritū præter omnibus vim virtutemque ſuperadditam Naturam nominatam nihil poſuit. Perſonæ vocem ex comædijs quam commodiſſimè interpretandam impie ſtatuit. Verum horribilium omnium horribiliſſimum blaſphemiæ prodigium, qua terſacro-ſanctiſſimam atque omni religione venerandam Trinitatem (quis nō perhorreſcat?) infernali Cerbero tricipiti comparandā impientiſſimè cum Satana ſuo imaginatus eſt : atat ulterius raptus Diabolicum phantaſma, Sataneque ludibrium ac Geryonis monſtrum eandem habendam cenſuit, quem tricorporem aliquo philoſophiæ involucro Poëtæ commēti ſunt. O incredibilem & inauditam blaſphemię aciem! Huic ſacro-ſanctum ſacro-ſanctiſſimæ Trinitatis nomē uſque adeò inviſum, qui cunctos nomini iſti initiatos atheos (ipſiſſimus atheotatos) mentiretur. Porrò perfacilè Alcoranū Mahometicū doctrinæ Chriſtianæ, articulo ſaltim Trinitatis obliterato, conciliari, ſummumque horum conſociatione impe-

impedimentū tolli, imo huius articuli ahenea pertinacia regiones ac provincias integras in rabiē irritari adſerebat. Dei hominumq; juratiſſimum hoc odiū Moſen Prophetam magnificum Dei Servum domuſq; que Dei miniſtrum fideliſſimum, gentis Iſraëliticæ ductorem ac principem, Deoque à facie ad faciem amiciſſimum Impoſtoris nomine adpellandum duxit. Patriarcham Abrahamum Sobolemque Abrahamicam ultionis nimis perquam cupidiſſimum, ſuoque hoſti periniquiſſimum atque infeſtiſſimum judicavit. Eccleſiam Iſraëliticam glorioſiſſimam (ipſus luto ſus amiciſſima) caulam habuit; ſeque Anabaptiſticæ proſapiæ juratiſſimum principem fecit. At exeſte aliç huius hæreſes & opinionum hydræ, totoq; Oceano vix expiandæ Erynnyes! Genevam profectus, peſtiferarumque blaſphemiarum vomitus vomere & exſcreare prohibitus, monitionibuſq; acerbioribus ac ſanioribus obluctatus eſt, quē Calvinus eccleſiæ miniſter laudatiſſimus, ſalutiferiq; Paſtoris officio defungi cupidiſſimus Servetum ab erroribus perditiſſimis hęreſique horribiliſſima

 ſervan-

ſervãdum atq; Orci quaſi faucibus eximendum amiciſsime adgreſſus fideliſſime caſtigaturit, is veritatis ipſiſſimæ acie perſtrictus, victuſque præter intolerabilem pertinaciæ vim, atque invincibilem blaſphemiæ palinodiam Calvino merẽtiſſimo nihil debuit; unde ex æquiſſimo prudentiſſimoque Bernenſium, Zuringenſinm, Baſiliẽſium, Scafhuſenſium concilio, decreto, Deique æterni condemnatione juſtiſſima anni MDLIII menſe Decembri (Sleidano octobri) ipſus pertinaciſſima blaſphemiæ eheu! obfirmatæ atque amentatæ ecſtaſi etiam tum raptus flammis ultricibus conſecratus eſt.



CIrca annum à Nato Dei nato CCCC-XXIII Preſbyter Alexãdrinus nomine Arrius ex Orcæa Charybdi emerſit, homo mille artifex, & eloquentiæ tym-

panum, ad omnē probitatem & eleganiam quaſi exaſciatus qui viru ſuo hæretico ac lethali doctrinæ mulſo ſub Silveſtro Epiſcopo Romano & Conſtantino Imperato integrum penè Chriſtianiſmum ad ſe allexit, genteſq; in oriente ingentes ita adulteravit, uti præter pauciſſimos Epiſcopos, doctrinæ veræ traduces, nulli ſupereſſent; cui peſti, ſed fruſtra, Niceæ in Bithynia anno CCCXXV generale indictum Concilium: etenim Arrianæ propagines ac proſapiæ ad miraculum contagiorum radices agere, adeoque Chriſtianum gregem hoſtiliter perſequi, ut cunctos fidei ſuæ fidem non dantes aut exilio aut letho darent. Hi Dei filium Deo Patri non Iſophyen ac coæternum, verum cōſentem ac conſentientem imaginati ſunt; cui firmando iſtum Ioannis locum, Ego & Pater vnum ſumus, adteſtabantur; ac quamquam filium illum magnum quidem Deum nominarent, Deum tamen vivum ac verum Patriq; coeſſentialem infitiabantur: ad quoſlibet objectionum clypeos retundendos paratiſſimos ſe gloriabantur, vnumque Deum ſenſu Iudaico profitebantur. Ad iſtud. Pater

& ego

& ego vnum ſumus, retorquere ſoliti, vnũ ne hic coeſſentiam denotat? ergo etiam ubi Apoſtolus 1 ad Corinthos cap. 3. qui plantat, atque irrigat, vnum ſunt. Vocem Trinitatis ludibrium ac fabulam, Dei filium creaturam, Sanctiſſ. Spiritum Chriſtoque natum, atque è Maria conceptum ac genitum arbitrati ſunt. Quotquot in Sacro-ſancto Trinitatis nomine baptizatos denuò baptizabant. Chriſtum Dei filium ſecundum Spiritum ac Deitatem, Deo filium ſuum abnegabant. Arrius dum aliquando ad requiſita naturę, ſecederet vna cum viſceribus excidentibus vita excidit. Atque ita ille Hæreſiarcharum Artemonis (qui fuit circa annũ Domini CC) & Paulli Samoſateni (qui fuit anno CCLXI) tradux miſerè perijt anno CCCXXXVI. Vide Athanaſium Epiphanium, Hilarium, Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, Baſilium, Theodoretum, Euſebium, Socratem, Nicephorum, Sozomenum, alioſq; Scriptores Eccleſiaſticos, qui fuſius hæc pertractarunt.



ANno DCXXII ſub Pontifice Honorio quinto, atq; imperante in Oriente cæſare Heraclio, hæreſiarcharum coryphæus nomine Mahometus Orſo na-

ço natus eſt, Propheta natione Arabs depravatiſſimus ac corruptiſſimus, alias negotiator qua opulẽtiſſimus qua callidiſſimus, deniq; Diabolicarum artium redemptor ſtudioſiſſimus, atque organum Satanæ impientiſſimum, Antichriſti prorex ſeu anteambulo juratiſſimus. Hic Arrium ſuum dignis cœloque ſuo dignisſimis laudum pręconijs extollere ope ſumma nitebatur; hic cum Sabellione Trinitatis ludibriũ refricuit; hic cũ Arrio & Eunomio Chriſtum ſolum hominem, Deumq; ſecundum dici (uti aiunt) nominandum fervidiſſime ac contumelioſiſſime contendit: hic Carpocrati Chriſtum Deum ac Prophetam abneganti adſentitur: hic ille qui Cerdono Filium Deum, aut Deo homouſium abiuranti pollicem utrumque presſit: cum Manicheis nequaquam Chriſtum, verum alium cruci adfixum imaginatus eſt: cum Donatiſtis ſacramenta ipſiſſima eccleſiaſtica inſuperhabuit: cum impurisſimo [omnis turpitudinis] Origine Diabolos humanum quidem at inviſibilem in modũ ſalute æterna donatum iri adſeruit: æternã ſalutem in carnis libidine cum Corintho

poſuit:circumciſionem abolitam, atque etiam antiquitus reſciſſam, & antiquatam renovavit; conjuratis ſuis polygamiam, ac cõcubinas imo divortij libellos cum Moſe dilargitus eſt; ſimilibuſque inſomnijs atque imaginoſa Phrenitide miſerrimus laboravit Hic vitam cum morte commutans ferreo ſarcophago Mechæ conditus eſt, qui vi magnetum operis arcuati quaſi centrum atque vmbilicus glaucoma omnium oculis ſuſpenſus libratur, quo miraculoſa huius Prophetæ ſanctimonia propalam glorificatur. Doctrinæ huius vniverſa Turcia omnis fidei punctum defert, huncq; ad miraculum uſq; acquieſcit.



Doctor Baltazar Hubmor Friburgenſis homo inſignitebene eruditus, alterque in re ſua quaſi Roſcius, eccleſiaſtes Ingolſtadienſis, Anabaptiſmi patro-

 nus



TEmpore Balthazaris noviſſime lau-
dati prodijt Ioannes Hut vir erudi-
tus, prora ac puppis navis Anabapti-
ſticæ, Pœdobaptiſmi contemptor nobiliſſi-
mus

mus, quem baptiſsimum execrandam gentis Theologicæ fictionem adteſtatus eſt, unde homines abs ſeſe ſuiſq; in nomine Patris Filij, & Sancti Spiritus baptizandum graviſſima vitæ Animeque pæna magnopere neceſſario ſanxivit: ſui baptiſmatis prærogativa inſignitos Populum fore Iſraëlis redivivum, pravoſque Cananæos gladijs ſuis deletum iri, at Deum ipſum tempora, quis hæc æſtuarent ac ferveſcerent, cœlitus patefacturum, ſuperaddidit: Viſionibus atq; in ſomnijs perhorribilibus [quæ ipſi apud Deum viſa videbantur] per quam plurimum credidit: ſibique ex apocalypſi Dei indubia noviſſimum diei præludium, Angelumque tubas inflaturientem cooſtenſum condocefecit. Quæ ob inſomnia diſcipuli Doctore ſuo digniſsimi bona cuncta, temporis auguſtias, queis iſta dilapidarēt, metuentes, abligurierunt; quibus ante diem iſtum præmature nimis decoctis ac conſumptis, in digniſsimas ſe pænas, ærumnasque prolapſi ad paupertatis contractiſsimæ reſtim adigebātur: verum tamen iſti integræ Melampodij nigerrimi metæ indigentiſsimi cerritum hoc hominis miracu-

miraculum verum Prophetam ſumma admiratione venerati ſunt, quorum hominũ vix humana ſpecimina hodieque Merhern incolunt, vbi domos ædeſq; baſilicas ac cœnobia vna cum bonis collatitijs promiſcue vſurpant, victum manibus proprijs quæritant, ac cuilibet opificiorum generi operas mutuas navant, quarum magiſtri ac præfecti ſunt, qui iſtarũ mercimonijs rem communem augent, coquis ſuis, lixis, calonibus cellarijſq; penes ſe domi utuntur, qui cũcta, vti in cœnobijs ac noſocomijs, curant ac tranſigunt, paci mutuæ ac promiſcuæ ſtudioſe indulgent, omnes vno ordine habent: hi hodieque fratrum Hutſiorum nomine nobilitantur.

LODOVVICVS HETZERVS.



LOdovvicus Hetzerus hæreſi, atque eruditione nobilis, primum Nicolai Storkij, ac Thomæ Muntzeri familiaris atque intimus, ſed horum de totius

vrbis

vrbis poteſtatibus exſcindendis atque eradicandis dogmata nimis inviſa & barbara animadvertens, diſceſsionem fecit, ac Iohanni Denkio ſe adgregans nonnullos mutui operis Prophetas civitate Teutonica donavit; at in quibuſdam eo cum diſconuenien ſectam propriam in Auſtria parturijt, ſibique Bernæ Helueticæ quam plures conſimiles adſociavit; vnde reverendiſs. Senatus publicam diſſertationem Soningæ indici, Hetzeroq; eiuſque adſeclis tuti itineris litteras donari in mandatis dedit, cui velitationi dictus dies Februarij primus ãni MDXXVII, quo non ipſus, verum ipſius emiſsitij comparuêre, qui ab eruditiſsimo Oecolampadio mordaci vero ad incitas detruſi. Erat Hetzerus bona pars ac tyrio ſectæ Anabaptiſticæ, ſed Chriſtum Patri homouſum audacter pernegavit, quod rhytmi eius Crucis ãgariationi adſcripti plus quam innuunt,

Ipſe ego qui propria cuncta hæc virtute creabam,
Quæris quot ſimus? fruſta, ego ſolus eram.
Hic non tres numero, verum ſum ſolus, at iſti,
Haud numero tres ſunt, nam qui ego, ſolus earm,
Neſcio Perſonam. ſolus ſum rivus ego, & fons,
Qui me neſcit, eum neſcio, ſolus ero.

Lingua-

LODOVVICVS HETZERVS, linguarum trium dote excelluit. Eccleſiaſticum ex Hebreo Teutonicum faciendũ ſuſcepit. Plaurerus honeſtiſsime atque inculpatiſsime eum ſuis valedixiſſe, Deoque ſeſe precibus pientiſsimis cum ſumma adſtantium admiratione devoviſſe ſcripto teſtatum fecit, qui anno MDXXIX Februarij quarto diutiſsime interiori carcere verſatus morti addictus, vrbiſque extra pomeria vrbe ſeſe indignum ratus (non vti Plaurerus) baptiſmi aut ſeditionis, verum adulterij ergo, cui cum quibuſdam argumentis è ſacris petitis patrocinari ſatageret, obtrũcatus eſt.

MELCHIOR HOFMANNVS.



ANno M D XX V I I I Melchior Hofmannus pellio Argentoratenſis, homo eloquentiſsimus juxta & callidiſsimus, Embdę in Oriẽtali Friſia doctrinę

ſuæ illecebris trecentos viros ac fæminas illaqueavit, vbi Anabaptiſmum pæna ſalutis ab inferis quaſi renocavit, cuius ille ad provincias inferiores tradux, quoſcunque ad ſe vndatim alluentes aquarum hoſpitio excepit, ac ſuſque deque baptizavit. Hic ex vaticinio cuiuſdam acherontici ſenis Argētoratum adijt, qui ſemeſtre ipſi in carcerem arctiorem conjectū, dein vinculis exemptum iri, atque Euangelij ſemētem multimodam per vniverſum orbem vna cum ſocijs diſſeminaturum præſagijt: æ ſuis Magnus Propheta in fidem exceptus, atq; honoratus eſt: hic magna regni Monaſterienſis columna ac deſtina. Argentoratum itaque Prophetiæ fidem ſequutus alarum quaſi remigio, veliſque paſsis cum divinis præconibus diſceptādi ergo abiturit, cui voto à Senatu prudentiſſimo reſponſum, Ianuarij vndecimo āni M D XXXII, vbi errorum atque hallucinationum nebulę Phœbo eccleſiaſtico probe diſcuſſæ ſunt; penitus tamen inſomnijs ſuis viſionibuſque ſtetit, neque ſe victum confeſſus eſt; vnde velut delenitus gyrgatho ſe digno dignus judıcatur; ille mirum quantum

gaudibundus Deo gratias gratiſsimas quaſi referens calceos detraxit, pileumq; in aerem projecit, atque adeo Deum viventem, pane & vndis ſe ſuſtentaturum, teſtem cievit, donec in ſententiæ ſuæ authorem iudicem intenderet. Iam nonnulli Prophetæ inſurgere ac fremere, huncque ſemiannum in robore ſervatum iri; indeque cum 144000 Prophetis egreſſurum, qui orbem nullo reluctante in doctrinæ ditionem cogerēt ac coercerēt. Erat Prophetiſſa quæ Hofmannū iſtum Heliam, Cornelium Poltermannum Enochū, Argentoratum novam Ieruſalem vaticinaretur; imo aulam capaciſsimā, qua plurimos Fratres Sororeſq; conſidentes, quam que juvenem habitu fulgidiſsimo ingredientem, ac pateram auream forti nectare coronatam manibus tenentem ſomniarat, quam in orbem circumeuns vnicuique prælibaret, cui deniq; amyſtide ad fæces ebibendo; excepto uno Poltermanno, nemo parem ſe fatebatur. Melchior eheu! aſymbolus & arcæ robuſteę dominus ad Eſdrę exemplum baptiſmum biennium prorogandum littera ſignificavit, donec Africa aliā feram fænū in

cornu

cornu habentem excluderet. Fuere plurima inſomnia, atq; aliæ quaſi nocturnæ pollutiones, quas cœlo iſti locarũt, & cedro digniſſima cenſuerunt. Melchiori autem morte voluntaria, fame, ſiti atque algu feliciter miſere exedi ac contabeſcere volupe fuit.

MELCHIOR RINCKIVS.



MElchior Rinckius enthyſiaſta miriſsimus Anabaptiſmi decumanos quoque fluctus commovit, bacchanalque inter ſuos exercuit, Anabaptiſmum

mum laude mira (quā ſane indigēs) ad Cœlū efferre præ alijs geſtijt, & inſanùm adlaboravit: præter hæc non infimi chori inſomniorum viſionumque tradux & interpres habitus, quas eum non ſine Dei Patris arbitrio expedire ſomniabāt, qui probe adeò ſe religionis ſuæ antiſtitibus commendavit, animoſque ſuorum ita obſedit, vt ſocij quodcunque de ſomnijs ac viſionibus diſſpartiretur, Cœlitus id à Deo Patre inſpirari ominarentur. In Heluetia itaque (vt cæteris ſuperſedendo defungar) Sanctæ Gallæ frequentiſſimo in concilio diſcipulus Thomas Scuckerus divino quaſi ſpiritu raptus, vtroque coram parente, fratre ſuo Leonardo Scuckero juſſu ſuo in genua provoluto, enſem expoſtulat, adcurrentes cum parentibus complures alij facinoris cauſam ac ſenſum ore vno efflagitāt: animo otioſo ac defecato is eſſe imperat, nec quidquā Numine abnuente obventurum ſpopondit: huic vigilanti inſomnio vnanimi adſenſu indultum eſt. Thomas ille [nimis credulus] cunctis quaſi Catoche detentis incorā fratri ſuo caput diſſecuit, proprioq; cruore, aquam oblitus, bap-

tizavit. Quid? reſciſcente quam ocyſſime Magiſtratu, graviſſimeque etiammum flagrante delicto, in carcerem obtorto collo protrahitur; is, diutina quæſtione ſecum habita, voluntati divinæ fato ſe morigerum atque obſequentem adteſtatus. Hæc annus infelix M·D XXVII vidit. Videre hic in re turpiſſima ac nefanda furorem ac maniam implacabilem, quē Deus Optimus Maximus ab hiſce ſeculis amoliatur atque averruncet.



Adam paſtor VVeſtvalo-dorpenſis etiam ex eorum grege, qui Pædobaptiſmo medium quaſi vnguem oſtenderent ac dedignarentur,, de quo ei pe-

nè cum Mennone atque Theodoro Philippi convenit, verum de incarnatione Dei penitus diſconvenit: Menno namque Chriſtum ſemine muliebri digniorem ac diviniorem, Adam vero Deo indigniorem contendit, hæreſique Arrianæ diutiſſime ſopitæ ſomnum excuſſit, quæ anno CCCXLIII nimis celebris: etenim libello, cui titulus, De Miſericordia Dei, ita ſcripturijt; Verbum ſacro-ſanctum eſt, ac rei noſtrę cardo, Geneſeos ſecundo, quo die arboris fructum delibaturi moriendo moriemini, hoc iſtud eſt Verbum, quod caro factum Ioannis primo. Imo Deus ipſe apathes & impatibilis patibilis, immortalis mortalis factus eſt: etenim commodo noſtro is crucifixus ac mortuus. Paucis, Chriſtum aliud nihil quam manū, quam digitū, quam vocem Dei habendum. Quamquam opinio aut religio (tertij) huius Adami Paſtoris [inſidiſſimi] extra ſacrorū oleas vagetur, hæcque nimis antiqua hæreſis præter ineptias, inanias, ac lyras lyras nihil ſapiens, à pientiſſimis divini verbi præconibus oblatrante vIperina Arriana ac Servetiana progenie antiquata ac ſit deleta, vnice ſaltim

tim ad ſenſum Geneſeos ſecundi, quod laudat, attendendum, quo nimis craſſe ac Boeotice Dei veritum Ioannis primo, Verbum id evincere fruſtra adlaborat, quo Dei filium in carnem tranſmutatum adſerit. Hoc monſtri hæc Secta parturijt atque, eduxit. Hic fucus, offuciæ, illecebræ, hæ illices atque lethales offæ, quas hominibus minime malis atque innocentiſſimis ſubdole obiecit. At at! vbi ergo Dei liberaliſſima atque indulgentiſsima ſeminis muliebris promiſſo? quod Diaboli ingulũ petit, & caudã ficulneo quaſi pampino ſtringit: vbi totiens Abrahamo, totiens Iſaaco, Iſraëli, Deique populo in ſacris olim fœdus ſanctiſſimè ſancitum? In tuo ſemine vniverſæ terrarum ſoboli benedicetur, eriſque ipſa mihi benedictio. Hoc ipſum, teſte Apoſtolo, ſemen Chriſtus ipſiſſimus, quem Deus invictiſſime innuit. Huius perditiſſimam religionis peſtem Servetus & Servetiani coluere, amplexi, & religioſe venerati.



Fuit & Henricus Nicolai, Charitatis (vti ſe vocare) Domicilium, ontubernij ſui non vltimus, qui Pædobaptiſmum .niris modis jambizavit; quod vel ex ſcrip-

tis

tis nimis pervulgatiſſimum & evidentiſſimũ, quæ cum (tertio) illo Davide Georgio, commilitionibus, ſuiſq; Hieroſolymitanis liberis liberrime, lubẽtiſſime, chariſſimeque conferre perpetim geſtijt. Hic libello illo Diſcriminationis notiſſimo, quem L. VV. intimo atq; alteri ſuo inſcripſit, horam atq; vltimę tubę quaſi momentũ jam jam advẽturã, quâ inquietarum conſcientiarũ libros, Infernumque ac æternæ condemnationis judiciũ, vtpote è meris mẽdacijs orta, apertũ & inſpectum iri ſcriptum reliquit, improba namque cuncta atque impia crimina Deo quam maxime inviſa, ac proinde ſplendida mendacia numini ſummo odioſiſſima ac deteſtabilia. Idem, ſe teſte, ſe Dei, Deumq; ſuæ humanitatis compotem perſuadere ſategit. Etiam die noviſſimo cunctos homines, adeoq; ipſos Diabolos in Salutẽ cõciliatum iri comprobavit. Cuncta de Satana Angeliſque ſuis, Gehẽna, æternoq; iudicio ac palude flammivoma in ſacris prolata, minis, correctionibus & politiæ inculpatè perpetuẽdę conſcripta teſtatus eſt. Pauciſſima hæc à nobis in lucem protracta, nõ è nobis texta, verum

rum à proprijs diſcipulis diutina diſſertatione, præſentibus non paucis pietate præſtantibus ingenijs, ſummo tandem jure extorta ſunt, qui ſcriptis in canonem redactis nihil crêdidere. At at! hiſce è medio ſublatis, vbi fides, Dei Timor, æterna ſalus! Credamus nos, credamus, & ſaluemur.

FINIS.

Lector Candidiſsime

Hallucinationes aliquot nō Hæretico-Anabaptiſticæ, verū luſtrilla quaſi Anabaptiſtica nobis cū nuſcitioſo, amblyope, aut feſtinabundo Typotriba tua venia hic expiandæ atque eluēdæ. Subadfixum Muntzero diſtichon ita caſtigandum,

Hei mihi quot ſacras iterans baptiſmatis undas
Muntzerus Stygijs millia tinxit aquis!

Sutori Regio ſubſcriptum ita reſribendum,

Aggreſſuſque neſas magnum & memorabile, Regem
Somniat, abiecta forfice ſceptra gerens.

Pagina Th. Muntzeris, 5. lin. 1. legend. nimirum, omnes ſe Dei electos, cunctoſque religionis ſuæ filios Dei filios nominandos, cæteros &c. Pag. 7. l. 8. jacientem. Pag. Ioann. Mathiſij 2. l. vltim. iri delendum, Pag. 6. l. 3. adſtante. l. ejuſdem vltim. Miſnico. Ioan. Buckholdi P. 2. l. 15. Stapedra. l. 17. eumque. Pag. 3. l. 18. vtique. Pag. 4. l. 8. Stentoria. 18. vtraſque. Pag. 10. l. 1. po-pag. 4. l. 1. Dulmen. lygamiā. Pag. 14. l. 12. indicium. Pag. 17. l. 8. metatus. Pag. 20. l. 13. ſpopondit. Pag. 25. l. 3. inde milliaribus. P. 16. l. 8. Veſaliam. vltim. iiſcum. Pag. 27. l. 6. turre. 21. geſtabant. l. 22. ſignificabatur. H. Sutoris pag. 7. l. 9. in fidem. D. Georgij pag. 8. l. 3. ſuperinfuſum. l. 19. deque eo &c. Airij pag. 2. l. 4. Imperatore. Mahometi pag. 3. l. vltima, huicque. Baltaz. Hubm. pag. 2. l. 10. ſubfulſerit. l. 14. & 15. MDXXVI l. 18. vltro. Ioan. Hut. pag. 2. l 5. Animæque l. Hetz. pag. 2. l. 18. homouſium, cætera (etiā leviuſcula) vltonea incude recudenda.

SPECIAL 84-B
24998

THE J. PAUL GETTY CENTER
LIBRARY

fodit. Eſa. v. b. Nō putabit ⁊ nō fodiet. Jtē ꝑdicato ſ ...
crepatiōis. Luc. xiij. b. Dimitte illā ⁊ h̄ anno vſq̄ dū fod
circa illā. Ecc̄i. xlviij. c. Fodit ferro rupē: oī de ezechia. i.
rū coꝛ. Jtē ſcholaris ſcrutinio. Geñ. xxvj. d. Foderūt in
rēte ⁊ repererūt aquā viuā. Toꝛrēs ſacra ſcptura. S; L
xvj. a. Fodere nō valeo: dicit mal⁹ ſeru⁹. Jtē cōfeſſoꝛ inc
one. Geñ. xxxv. a. Dederūt ei oēs deos alienos ⁊ inaur
habebāt i aurib⁹ eoꝝ: at ille fodit eos ſb terebintho: q; pe
toꝛ dic̄ ſacerdoti peccata ſua: ⁊ ipſe in noīe chꝛiſti fodit ſu
rebintho crucis. Jtē ſacerdos ferro cōpunctionis. iij. R
xviij. f. Foſſa aqueduct⁹ repleta ē. Jtē clauſtralis ſepulc
Job. xj. d. Defoſſus ſecur⁹ doꝛmies. Et eiuſdē. iij. d. Q
effodiētes theſaurū / gaudētq̄ vehemēter cū īuenerint ſe
chꝛū. Jtē expoſitoꝛ. Nūeri. xxj. d. Pute⁹ quē foderūt p
pes. b Et abſcōdit pecuniā dñi ſui: Cōtra illud
xx. d. et. xlj. c. Sapiētia abſcōſa ⁊ theſaur⁹ iuiſus: q̄ vtilit
vtriſq̄; Jtē Exo. xvj. e. Māna ſuatū cōputruit. c
m̄ltū vō tpis / qd̄ ē ab aſcēſiōe dñi vſq̄ ad iudiciū. d
nit dñs ſuoꝝ illoꝝ / ad iudiciū. e Et poſuit ratio
cū eiſ. Luc. xvj. a. Redde rōnē villicatiōis tue. f Et
cedēſ q̄ quīq̄ talēta accepat ⁊c̄. Chꝛyſ. Cōfitet gr
⁊ totū ei repoꝛtāt / q̄m ab ipſo ſuſpſerit. q. d. nec modicā ſuſ
facere potuiſſemus / niſi fuiſſet gr̄a tua nobiſcū. j. Coꝛ. x
Pl⁹ oīb⁹ laboꝛaui: Nō aūt ego / ſ; gr̄a dei mecū. g Ait
dñs ei⁹: Euge ſerue bone ⁊ fidelis. Hoc eſt ꝯ illos
etiā poſt bñfacta ꝓuocāt ſeruiētes ſuos. Cōtra q̄s. ſ. xxiij
Quiſ putas ⁊c̄. Eſa. lx. d. Minim⁹ erit ī mille: ⁊ paruul⁹ i
tē foꝛtiſſimā. Euge. Chꝛyſ. i. bonū ſit tibi. h Quia
pauca fuiſti fidelis. Ecce q̄ dñs vocat ⁊ / dicit parua
dat homi / licz ſint magna. i Supꝛa multa te cōſtitu